2

AEMILII PROBI,

SEV CORNELII NEPOTIS LIBER

DE VITA EXCELLENTIVM IMPERATORVM.

Item:

DE VIRIS ILLVSTRIBVS LIBELLVS, VVLGO ATTRIBVTVS C. PLINIO SECVNDO.



INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica Dauidis Sartorij.
M. D. XCIII.

b. 2.



Eigentum der
Universitäts-Bibliothek
München

AEMILII PROBI, SEV CORNELII NEPOTIS, EXCELLENTIVM IMPERATORVM vitæ.

NON DVBITO FORE PLEROSQ3, Attice, qui hoc genus scripturæ, leue, & non satis dignum summorum virorum personis iudicent, cùm relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam, aut in eius virtutibus commemorari, saltasse eum commodè, scienterq3 tibijs cantasse. Sed hi erunt ferè, qui expertes litterarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt. Hi, si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atq3 turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. Neq3 enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cùm ciues eius eodem vterentur instituto. at id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adolescentulis quàmplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni

tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire, & populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atq; ab honestate remota, ponuntur. Contrà ea pleraq; nostris moribus sunt decòra, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius non materfamilias primũ locum tenet ædium, atq; in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia. nam neq; in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur. quò nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. Sed plura persequi, tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, vt ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, & in hoc libro exponemus vitas excellentium imperatorum.

MILTIADES.

MILTIADES Cimonis filius Athenienſis, cùm & antiquitate generis, & gloria maiorum, & sua modestia, vnus omnium maximè floreret, eaq; esset ætate, vt non iam solùm de eo bene sperare, sed etiam confidere ciues possent sui talem futurum, qualem cognitum iudicárunt, accidit, vt Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere, cuius generis cùm magnus numerus esset, & multi eius demigrationis peterent societatem, ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent

Apolli-

Apollinem, quo potißimum duce vterentur. nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus, nominatim Pythia præcepit, vt Miltiadem sibi imperatorem sumerent. Id si fecissent, incœpta prospera futura. Hoc oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus, cùm accessisset Lemnum, & incolas eius insulæ sub potestatem redigere vellet Athenienſium, idq; vt Lemnij sua sponte facerent, postulasset, illi irridentes responderunt, tum id se facturos, cùm ille domo nauibus proficiscens vento Aquilone veniſſet Lemnum. Hic enim ventus à septentrionibus oriens aduersum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades morandi tempus non habens cursum direxit, quò tendebat, peruenitq; Chersonesum, ibi breui tempore barbarorum copijs disiectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communiuit, multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocauit: crebrisq; excursionibus locupletauit. Neq; minus in ea re prudentia, quàm fœlicitate, adiutus est. Nam cùm virtute militum deuicisset hostium exercitus, summa æquitate res constituit, atq; ipse ibidem manere decreuit. Erat enim inter eos dignitate regia, quamuis carebat nomine. Neq; id magis imperio, quàm iustitia, consecutus. Neq; eo secius Athenienſibus, à quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, vt non minus eorum voluntate perpetuò imperium obtineret, qui miserant, quàm illorum, cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constituta, Lemnum reuertitur,

& ex pacto postulat, vt sibi vrbem tradant. Illi enim dixerant, cùm vento Borea domo profectus eò peruenisset, sese dedituros: se autem domum Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, & si præter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna aduersariorum capti, resistere ausi non sunt, atq; ex insula demigrârunt. Pari fœlicitate ceteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Athenienſium redegit potestatem. Eisdem temporibus Persarũ rex Darius, ex Asia in Europam exercitu traiecto, Scythis bellum inferre decreuit. pontem fecit in Istro flumine, quà copias traduceret. eius pontis (dum ipse abesset) custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia & Aeolide duxerat, quibus singulis ipsarum vrbium perpetua dederat imperia. sic enim putauit facillimè se Græca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset: quibus se oppresso nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, cùm crebri afferrent nuncij malè rem gerere Darium, premiq; ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne à fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. nam si cum his copijs, quas secum transportauerat, interisset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent, Græci genere, liberos à Persarum futuros dominatione & periculo. Id facilè effici posse. Ponte enim resciſſo, regem vel hostium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium cùm pleriq; accederent,

derent, Istiæus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens non idem ipsis, qui summas imperij tenerent, expedire, & multitudini, quòd Darij regno ipsorum niteretur dominatio. quo extincto ipsos potestate expulsos ciuibus suis pœnas daturos. Itaq; adeò se abhorrere à ceterorum consilio, vt nihil putet ipsis vtilius, quàm confirmari regnum Persarum. Huius cùm sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans tam multis conscijs ad regis aures consilia sua peruentura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigrauit. cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, cùm amici omnium libertati, quàm suæ fuerit dominationi. Darius autem, cùm ex Europa in Asiam redijsset, hortantibus amicis, vt Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum nauium comparauit, eiq; Datin præfecit, & Artaphernem, husq; ducenta peditum millia, decem equitum dedit, causam interserens se hostem esse Athenien sibus, quòd eorum auxilio Iones Sardis expugnassent, suaq; præsidia interfecissent. Illi præfecti regij classe ad Eubœam appulsa celeriter Eretriam ceperunt, omnesq; eius gentis ciues abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo, tamq; magno permoti auxiliū nusquā, nisi à Lacedæmonijs, petiuerunt, Phidippidemq; cursorem eius generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, vt nunciaret, quàm celeri opus esset

auxilio. Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades, inter quos magna fuit contentio, vtrum mœnibus se defenderent, an obuiam irent hostibus, acieq; contenderent. Vnus Miltiades maximè nitebatur, vt primo quoq; tempore castra fierent. id si factum esset, & ciuibus animum accessurum, cùm viderent de eorum virtute non desperari, & hostes eadem re fore tardiores, si animaduerterent auderi aduersus se tam exiguis copijs dimicare. Hoc in tempore nulla ciuitas Athenienſibus auxilio fuit præter Platæenſeis. ea mille misit militum. itaq; horum aduentu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. quo factum est, vt plus, quàm collegæ, Miltiades valuerit. Eius enim auctoritate impulsi Athenienſes copias ex vrbe eduxerunt, locoq; idoneo castra fecerunt. deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructa, noua arte, vi summa prælium commiserunt. Namq; arbores multis locis erant raræ, hoc cõsilio, & vt montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat, eoq; magis, quòd prius, quàm Lacedæmonij subsidio venirent, dimicare vtile arbitrabatur. Itaq; in aciẽ, peditum centum, equitum decem milia produxit, prælium q; commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienſes, vt decuplicem numerum hostium profligarent: adeoq; perterruerunt, vt Persæ non castra, sed naues peterent.

terent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. nulla enim vnquam tam exigua manus tantas opes prostrauit. Cuius victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium ciuitatum esse naturam. Vt populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eamq; causam glorioſi, nunc autem effusi atq; obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namq; huic Miltiadi, qui Athenas, totamq; Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu, quæ pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, vt in decem prætorum numero prima eius imago poneretur, isq; hortaretur milites, prælium q; committeret. Idem ille populus, posteaquam maius imperium est nactus, & largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decreuit. Post hoc prælium classem septuaginta nauium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, vt insulas, quæ barbaros adiuuerant, bello persequeretur. Quo imperio pleraſq; ad officium redire coëgit, non nullas vi expugnauit. Ex his Parum insulam opibus elatam cùm oratione reconciliare non posset, copias è nauibus eduxit, vrbem operibus clausit, omniq; commeatu priuauit. deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit. Cùm iam in eo esset, vt oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cuius flamma vt ab oppidanis & oppugnatoribus est visa, vtriſq; venit in opinionem signum à classiarijs regijs datum. quo factum

est, vt Parij à deditione deterrerentur, & Miltiades timens ne classis regia aduentaret, incensis operibus, quæ statuerat, cum totidem nauibus atq; erat profectus, Athenas magna cum offensione ciuium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd, cùm Parum expugnare posset, à rege corruptus infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaq; quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater eius Stesagoras. Causa cognita capitis absolutus, pecunia multatus est, eaq; lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam, quòd soluere non poterat, in vincula publica coniectus est, ibiq; diem obijt supremum. Hic & si crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. namq; Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium suorum ciuium potentiam extimescebant. Miltiades multum in imperijs, magistratibusq; versatus non videbatur posse esse priuatus, præsertim cùm consuetudine ad imperij cupiditatem trahi videretur. nam Chersonesi omnes illos, quos habitârat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusq; fuerat appellatus, sed iustus. non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamq; potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur & dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vsa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tum mira comitas, vt nemo tam humilis esset, cui non

ad

ad eum aditus pateret : magna auctoritas apud omnes ciuitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quàm se diutius esse in timore.

THEMISTOCLES.

THEMISTOCLES *Neocli filius Athenienſis. Huius vitia ineuntis adoleſcentiæ magnis ſunt emendatæ virtutibus : adeò vt anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio eſt ordiendum. Pater eius Neocles, generoſus fuit, is vxorem Halicarnaſſiam ciuem duxit, ex qua natus eſt Themiſtocles, qui cùm minus eſſet probatus parentibus, quod & liberius iuſto viuebat, & rem familiarem negligebat, à patre exheredatus. quæ contumelia non fregit eum, ſed erexit. Nam cùm iudicaſſet ſine ſumma induſtria non poſſe eam extingui, totũ ſe dedit Reip. diligentius amicis, famæq; ſeruiens. Multum in iudicijs priuatis verſabatur, ſæpè in concionem populi prodibat, nulla res maior ſine illo regebatur, celeriterq; quæ opus erant, reperiebat. Neq; minus in rebus gerendis promptus, quàm excogitandis, erat, quòd & de inſtantibus (vt ait Thucydides) veriſſimè iudicabat, vt de futuris callidiſſimè conijciebat. Quo factum eſt, & breui tempore illuſtraretur. Primus autem gradus fuit capeſſendæ reipublicæ bello Corcyræo : ad quod gerendum prætor à populo factus, non ſolùm præſenti bello, ſed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit ciuitatem. Nam cùm pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magiſtratuum quotannis interiret, ille perſuaſit*

suasit populo, vt ea pecunia classis centum nauium aedificaretur, quæ celeriter effecta, primùm Corcyræos fregit. Deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit. In quo cùm diuitijs ornauit, tum etiam peritissimos belli naualis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit vniuersæ Græciæ, bello cognitum est Persico. Nam cùm Xerxes & mari & terra bellum vniuersæ inferret Europæ, cum tantis eam copijs inuasit, quantas neq; antè neq; postea habuit quisquam. Huius enim classis mille & ducentarum nauium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur : terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cuius de aduentu cùm fama in Græciam esset perlata, & maximè Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, vt mœnibus ligneis se munirent. Id responsum, quò valeret cùm intelligeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, vt in naues se, suaq; conferrent, eum enim significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naues triremes : suaq; omnia, quæ moueri poterant, partim Salaminem, partim Troezenem asportant : arcem sacerdotibus pauciscq; maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt. Huius consilium plerisq; ciuitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaq; missi sunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum rege, qui Thermo-

pylas

pylas occuparent, longiusq; barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoq; loco omnes interierunt. At classis communis Græciæ trecentarum nauium, in qua ducentæ erant Athenienſium, primùm apud Artemiſium inter Euboeam, continentemq; terram cum classiarijs regis conflixit. anguſtias enim Themiſtocles quærebat, ne multitudine circumiretur. Hic etſi pari prælio diſceſſerant, tamen eodem loco non ſunt auſi manere, quod erat periculum, ne, ſi pars nauium aduerſariorum Euboeam ſuperaſſent, ancipiti premerentur periculo. Quo factum eſt, vt ab Artemiſio diſcederent, & aduerſum Athenas apud Salamina claſſem ſuam conſtituerent. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus acceſſit aſtu, idq; nullis defendentibus, interfectis ſacerdotibus, quos in arce inuenerat, incendio deleuit, cuius fama perterriti classiarij cùm manere non auderent, & plurimi hortarentur, vt domos ſuas diſcederent, mœnibuſq; ſe defenderent, Themiſtocles vnus reſtitit, & vniuerſos eſſe pares aiebat, diſperſos teſtabatur perituros. Idq; Eurybiadi regi Lacedæmoniorum, qui tum ſummæ imperij præerat, fore affirmabat. quem cùm minus, quàm vellet, moueret, noctu de ſeruis ſuis, quem habuit fideliſſimum, ad regem miſit, vt ei nunciaret ſuis verbis, aduerſarios eius in fuga eſſe: Qui ſi diſceſſiſſent, maiore cum labore, & longinquiore tempore, bellum confecturum, cùm ſingulos conſectari cogeretur: quos ſi ſtatim aggrederetur, breui vniuerſos oppreſſurum. Hoc eo valebat, vt ingratijs ad depugnandum omnes cogeren-

tur.

tur. Hac re audita barbarus nihil doli subesse credens, postridiè alienissimo sibi loco, contrà opportunissimo hostibus, adeò angusto mari conflixit, vt eius multitudo nauium explicari non — potuerit. Victus est ergo magis consilio Themistoclis, quàm armis Græciæ. Hic & si malè rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, vt etiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseueraret, certiorem eum fecit id agi, vt pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolueretur, ac reditu in Asiam excluderetur. Idq; ei persuasit. Itaque, quà sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reuersus est, seq; à Themistocle non superatum, sed conseruatum iudicauit. Sic vnius viri prudentia Græcia liberata est, Europæq; succubuit Asia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. Nam pari modo apud Salamina paruo numero nauium maximam post hominum memoriam classis est deuicta. Magnus hoc bello Themistocles fuit, neq; minor in pace. Cùm enim Phalereo portu neq; magno, neq; bono Athenienses vterentur, huius consilio triplex Pyræei portus constitutus est: isq; mœnibus circundatus, vt ipsam vrbem dignitate æquipararet, vtilitate superaret. Idemque muros Athenienſium restituit præcipuo suo periculo. Namq; Lacedæmonij causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, quare negarent oportere extra Peloponnesum vllam vrbem haberi, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Athenienses

enses ædificantes prohibere sunt conati, hoc longè aliò spectabat, atq; videri volebant. Athenienses enim duabus victorijs, Marathonia & Salamina, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, vt intelligerent Lacedæmonij de principatu sibi cum his certamen fore. quare eos infirmissimos esse volebant. Postquàm autem audierunt muros strui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. his præsentibus desierunt, ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, & solus primò profectus est: reliqui legati vt tum exirent, cùm satis altitudo muri extructa videretur, præcepit: interim omnes serui atq; liberi opus facerent, neq; vlli loco parcerent, siue sacer esset, siue profanus, siue priuatus, siue publicus: & vndiq; quod idoneum ad muniendũ putarent, congererent. Quo factum est, vt Athenienſium muri ex sacellis, sepulchrisq; constarent. Themistocles autem, vt Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit, & dedit operã, vt quàm longissimè tempus duceretur, causam interponens se collegas exspectare. Cùm Lacedæmonij quererentur opus nihilominus fieri, eumq; in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti: à quibus cùm audisset non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum imperium erat: atq; apud eos contendit falsa his esse delata, quare æquũ esse, illos, bonos viros, nobilesq; mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent. interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos, tresq; legati, functi

sum-

summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegæ suos Themistocles iussit proficisci: eisq; prædixit, vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus. hos postquam Athenas peruenisse est ratus, ad magistratum, senatumq; Lacedæmoniorum adijt, & apud eos liberrimè professus est, Athenienses suo consilio, quod communi iure gentium facere possent, deos publicos, suosq; patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse: neq; eos, quod inutile esset Græciæ feciisse. Nam illorum vrbem vt propugnaculum oppositam esse barbaris, apud quam iam bis classem regiam feciisse naufragium. Lacedæmonios autem malè & iniustè facere, qui id potius intuerentur, quòd ipsorum dominationi, quàm quod vniuersæ Græciæ vtile esset. Quare si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent: aliter illos nunquam in patriam essent, recepturi. Tamen non effugit ciuium suorum inuidiam. Namq; ob eundem timorem quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragijs è ciuitate eiectus, Argos habitatum concessit. Hic cùm propter multas eius virtutes magna cum dignitate viueret, Lacedæmonij legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quòd societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam feciisset. hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id vt audiuit, quòd non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigrauit. ibi cùm eius principes ciuitatis animaduertissent timere, ne propter se bellum bis Lacedæmonij & Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum regem,

regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc cùm veniſſet, & in præſentia rex abeſſet: quo maiore religione ſe receptum tueretur, filiam eius paruulam arripuit, & cum ea ſe in ſacrarium, quod ſumma colebatur cerimonia, coniecit. Inde non prius egreſſus eſt, quàm rex eum data dextra in fidem reciperet: quam præſtitit. Nam cùm ab Athenienſibus & Lacedæmonijs expoſceretur publicè, ſupplicem non prodidit, monuitq; vt conſulerent ſibi. Difficile enim eſſe, in tam propinquo loco tutò eum verſari. Itaq; Pidnam eum deduci iuſſit, &, quod ſatis eſſet, præſidij dedit. Hìc in nauem omnibus ignotus aſcendit: Quæ cùm tempeſtate maxima Naxum ferretur, vbi tum Athenienſiũ erat exercitus, ſenſit Themiſtocles, ſi eò peruenisſet, ſibi eſſe pereundum. Hac neceſſitate coactus, domino nauis, quis ſit, aperit, multa pollicens, ſi ſe conſeruaſſet. At ille clariſſimi viri captus miſericordia diem, noctemq; procul ab inſula in ſalo nauem tenuit in anchoris, neq; quenquam ex ea exire paſſus eſt. Inde Epheſum peruenit, ibiq; Themiſtoclem exponit, cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit. Scio pleroſq; ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem Xerxe regnante in Aſiam tranſiſſe. Sed ego potiſſimùm Thucydidi credo, quod ætate proximus erat, qui illorum temporum hiſtoriam reliquerunt, & eiuſdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum veniſſe, atq; his verbis epiſtolam miſiſſe. Themiſtocles veni ad te, qui plurima mala omniũ Graiorum in domum tuam intuli, cùm mihi neceſſe fuit aduerſus patrem tuum bellare, patriamq; meam defendere.

Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, & ille in periculo esse cepit. Nam cùm in Asiam reuerti vellet, prælio apud Salaminam facto, literis eum certiorem feci, id agi, vt pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolueretur, atq; ab hostibus circumiretur. Quo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi exagitatus à cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, nõ minus me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, vt de his rebus, de quibus tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoq; transacto ad te venire patiaris. Huius rex animi magnitudinem admirans, cupienſq; talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis, sermoniq; Persarum dedit: quibus adeò eruditus est, vt multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quàm hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic cùm multa regi esset pollicitus, gratissimumq; illud si suis vti consilijs vellet, illum Græciam bello oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit, domicilium q; Magnesiæ sibi constituit. namq; hanc vrbem ei rex donauerat, his vsus verbis, quæ ei panem præberet: ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant: Lampsacum, vnde vinum sumeret; Myuntem, ex qua obsonium haberet. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepulchrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuæ in foro Magnesiæ. de cuius morte multis modis apud plerosq; scriptũ est: sed nos eundem potissimùm Thucydidem auctorem pro-

probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum; neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, cùm se quæ regi de Gratia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem ossa eius clam in Attica ab amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

ARISTIDES.

ARISTIDES Lysimachi filius Athenienſis, æqualis ferè fuit Themistocli, itaq; cum eo de principatu contendit. namq; obtrectârunt inter se. In his autem cognitum est, quanto antistaret eloquentia innocentiæ. quanquam enim adeò excellebat Aristides abstinentia, vt vnus post hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine iustus sit appellatus, tamen à Themistocle collabefactus testula illa exsulio decem annorum multatus est. Qui quidem cùm intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensq; animaduerteret quendam scribentem, vt patria pelleretur; quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respõdit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quòd cupidè elaborasset, vt præter cæteros iustus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam nõ pertulit. nam postquàm Xerxes in Graciam descendit, sexto ferè anno postquàm erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autẽ pugnæ nauali apud Salamina, quæ facta est prius, quàm pœna liberaretur. Idẽ prætor fuit Atheniensium apud Plataas in prælio, quo Mardonius fusus,

barbarorumque exercitus est interfectus. Neq; aliud est vllum huius in re militari illustre factum, quàm huius imperij memoria. Iustitiæ verò, & æquitatis, & innocentiæ multa. In primis, quod eius æquitate factum est, cùm in communi classe esset Græciæ, simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, vt summa imperij maritimi à Lacedæmonijs transferretur ad Athenienses. Namq; ante id tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonij, tum autem & intemperantia Pausaniæ, & iustitia factum est Aristidis, vt omnes ferè ciuitates Græciæ ad Athenienſium societatem se applicarent, & aduersus barbaros hos duces deligerent sibi, quò facilius repellerent, si fortè bellum renouare conarentur. ad classes ædificandas, exercitusq; comparandos quantum pecuniæ quæq; ciuitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret. eius arbitrio quadringenta & sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quàm quòd cùm tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit, vt qui efferretur, vix reliquerit: Quo factum est, vt filiæ eius publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

PAVSANIAS.

PAVSANIAS Lacedæmonius, magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit. Nam vt virtutibus eluxit:

xit: sic vitijs est obrutus. Huius illustrissimum est prælium apud Plataeas. namq; illo duce Mardonius satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum & manu fortis, & consilij plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, & viginti millibus equitum, haud ita magna manu Graecia fugatus est: eoq; ipse dux cecidit prælio. Qua victoria elatus plurima miscere cœpit, & maiora concupiscere. Sed primùm in eo est reprehensus, quòd cùm ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia, suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusq; victoriæ ergò, Apollini donum dedisse: hos versus Lacedæmonij exsculpserunt, neq; aliud scripserunt, quàm nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Persæ erant victi. Posti id prælium, eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum, atq; Hellespontum miserunt, vt ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re vsus elatius se gerere cœpit, maioresque appetere res. Nam cùm Byzantio expugnato cepisset complures Persarum nobiles, atq; in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse, & cum his Gongylum Eretriensem, qui literas regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit. Pausanias dux Spartæ, quos Byzantij ceperat, postquam propinquos tuos cognouit, tibi muneri misit, seq; tecum affinitate coniungi cupit. quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, & Sparten, & ceteram Graciam sub tuam pote-

statem se adiuuante redacturum pollicetur. Horum igi-
tur si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas
face, cum quo colloquatur. Rex tot hominum salute tam
sibi necessariorum magnopere gauisus, confestim cum e-
pistola Artabazum ad Pausaniam mittit. In qua eum
collaudat, petit ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ
pollicetur. Si fecerit, nullius rei à se repulsam laturum.
Huius Pausanias voluntate cognita alacrior ad rem ge-
rendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum.
In quo facto domum reuocatus, accusatus capitis, absol-
uitur: multatur tamen pecunia. Quam ob causam ad
classem remissus non est. At ille pòst non multo sua spon-
te ad exercitum redijt, & ibi non callida, sed dementi o-
ratione cogitata patefecit. Non enim mores patrios
solùm, sed etiam cultum vestitumq; mutauit. Apparatu
regio vtebatur, veste Medica: Satellites Medi & Aegy-
ptij sequebantur: epulabatur more Persarum, luxurio-
sius, quàm qui aderant, perpeti possent. Aditum peten-
tibus conueniendi non dabat, superbè respondebat, &
crudeliter imperabat: Spartam redire nolebat. Colonas,
qui locus in agro Troade est, se contulerat. ibi consilia,
tum patriæ, tum sibi inimica capiebat. Id postquàm
Lacedæmonij resciuerunt, legatos ad eum cum scytala
miserunt: in qua more illorum erat scriptum, nisi domũ
reuerteretur, se capitis eum damnaturos. Hoc nuncio
motus, sperans se etiam cum pecunia & potentia instans
periculum posse depellere, domum redijt. huc vt venit,
ab ephoris in vincula publica coniectus est. Licet enim

legibus

legibus eorum cuiuis ephoro hoc facere regi. hinc tamen se expediuit: neq; eo magis carebat suspicione. Nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, seruorumq; munere fungitur. hos quoq; sollicitare spe libertatis existimabatur. sed quòd harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali, tamq; claro viro suspicionibus oportere iudicari: sed expectandum, dum se ipsa res aperiret. Interim Argilius quidam, adolescentulus, quem puerum Pausanias * * * dilexerat, cùm epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eiq; in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quòd nemo eorum redijsset, qui super tali causa eodem missi erant: vincula epistolæ laxauit, signoq; detracto cognouit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem, Pausaniamq; conuenerant. Has ille literas ephoris tradidit. Non est prætereunda grauitas Lacedæmoniorũ hoc loco. nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, vt Pausaniam comprehenderent: neq; prius vim adhibendam putauerunt, quàm se ipse indicasset. Itaq; huic indici, qui fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas putant Græci. Eo ille index confûgit: in ara consedit. hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias vt audiuit Argilium confugisse in aram, per-

turbatus eo venit: quem cùm supplicem dei videret in ara sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentini consilij. huic ille, quid ex literis comperisset, aperit. Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne nunciaret, nec se meritum de illo opimè, proderet. Quòd si eam veniam sibi dedisset, tantisq; implicitum rebus subleuasset, magno ei præmio futurum. His rebus Ephori cognitis, satius putauerunt in vrbe eum comprehendi. quò cùm essent profecti, & Pausanias placato Argilio (vt putabat) Lacedæmonem reuerteretur, in itinere, cùm iam in eo esset, vt comprehenderetur, è vultu cuiusdam Ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaq; paucis ante gradibus, quàm qui sequebantur, in ædem Mineruæ, quæ Chalcioecus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valuas eius ædis obstruxerunt, tectumq; sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamq; iam magno natu, postquàm de scelere filij comperit, in primis ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic cùm semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflauit. Cuius mortui corpus cùm eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quòd hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus: & procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius dei Delphici responso erutus, atq; in eo loco sepultus, vbi vitam finierat.

CIMON.

CIMON.

CIMON *Myltiadis filius Athenienſis, duro admodum initio vſus eſt adoleſcentiæ. Nam cùm pater eius litem æſtimatam populo ſoluere non potuiſſet, ob eamque cauſam in vinculis publicis deceſſiſſet, Cimon eadē cuſtodia tenebatur, neq; legibus Athenienſibus emitti poterat, niſi pecuniam qua pater multatus eſſet, ſoluiſſet. Habebat autem in matrimonio ſororem germanam ſuam nomine Elpinicen, non magis amore, quàm patrio more ductus. Nam Athenienſibus licet eodem patre natas vxores ducere. Huius coniugij cupidus Callias quidam, nō tam generoſus, quàm pecunioſus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, vt eam ſibi vxorem daret. Id ſi impetraſſet, ſe pro illo pecuniam ſoluturum. Is cùm talem conditionem aſpernaretur, Elpinice negauit ſe paſſuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire: quoniamque prohibere poſſet, ſe Calliæ nupturam, ſi ea, quæ polliceretur, præſtitiſſet. Tali modo cuſtodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruenit. Habebat enim ſatis eloquentiæ, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam cùm iuris ciuilis, tùm rei militaris, quòd cum patre à puero in exercitu fuerat verſatus. Itaq; hic & populum vrbanum in ſua tenuit poteſtate, & apud exercitum plurimùm valuit auctoritate. Primùm imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugauit: oppidum Amphipolim conſtituit, eoq; decem millia Athenienſium in coloniam miſit. Idem iterum apud Mycalen Cyprorum & Phœ-*

nicum ducentarum nauium classem deuinctam cepit. eodemq; die pari fortuna in terra vsus est. Namq; hostium nauibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorumq; vno concursu maximam vim prostrauit. Qua victoria magna præda potitus cùm domum reuerteretur, quòd iam nonnullæ insulæ propter acerbitatem imperij defecerant, bene animatas confirmauit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quòd contumacius se gesserat, vacuefecit: sessores veteres vrbe, insulaq; eiecit: agros ciuibus diuisit: Thasios opulentia fretos, suo aduentu fregit. His è manubijs Athenarum arx, quà ad meridiem vergit, est ornata. Quibus rebus cùm vnus in ciuitate maximè floreret incidit in eandem inuidiam, quam pater suus, ceteriq; Athenienſium principes. nam testarum suffragijs, quòd illi ostraciſmum vocant, decem annorum exsulio multatus est. Cuius facti celerius Athenienses, quàm ipsum, pœnituit. Nam cùm ille animo forti inuidiæ ingratorum ciuium cessisset, bellumq; Lacedæmonij Athenienſibus indixiſſent, confestim notæ eius virtutis desiderium consecutum est. Itaq; post annum quintum, quo expulsus erat, in patriã reuocatus est. Ille quòd hospitio Lacedæmoniorum vtebatur, satius existimans eos, & ciues suos inter se vna voluntate consentire, quàm armis contendere, Lacedæmonem sua sponte est profectus, pacemq; inter duas potentiſsimas ciuitates conciliauit. Post neq; ita multo in Cyprum cum ducentis nauibus imperator missus, cùm eius maiorem partem in-

sulæ

fulæ deuiciſſet, in morbum implicitus, in oppido Citio eſt mortuus, hunc Athenienſes non ſolùm in bello, ſed in pace diu deſiderauerunt. Fuit enim tanta liberalitate, cùm compluribus locis prædia, hortoſq; haberet, vt nunquam eis cuſtodem impoſuerit fructus ſeruandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti, vt, ſi quis opus eius indigeret, haberet, quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Sæpè, cùm aliquem offenſum fortuna videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Quotidie ſic cena ei coquebatur, vt, quos conuocatos vidiſſet in foro, omnes deuocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. multos locupletauit: complures pauperes mortuos, qui vnde efferrentur, non reliquiſſent, ſuo ſumptu extulit. Sic ſe gerendo minimè eſt mirandum, ſi & vita eius fuit ſecura & mors acerba.

LYSANDER.

LYSANDER Lacedæmonius magnam reliquit ſuam famam magis felicitate, quàm virtute partam. Athenienſes enim in Peloponneſios ſexto & vigeſimo anno bellum gerentes confeciſſe appâret. Id qua ratione conſecutus ſit, latet. Non enim virtute ſui exercitus, ſed immodeſtia factum eſt aduerſariorum: qui quòd dicto audientes imperatoribus ſuis nõ erant, diſſpalati in agris, relictis nauibus, in hoſtium venerunt poteſtatem. Quo facto Athenienſes ſe Lacedæmonijs dediderunt. Hac victoria

victoria Lysander elatus, cum autem ea semper factiosus, audaxq; fuisset, sic sibi indulsit, vt eius opera in maximũ odium Græciæ, Lacedæmonij peruenerint. Nam cùm hãc causam Lacedæmonij dictitassent sibi esse belli, vt Athenienſium impotentem dominationem refringerent, postquam apud Aegos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quam vt omnes ciuitates in sua teneret potestate, cum id se Lacedæmoniorum causa facere simularet. Nanq; vndiq; qui Athenienſium rebus studuissent, eiectis, decem delegerat in vnaquaq; ciuitate, quibus summum imperium, potestatemq; omnium rerum committeret. Horum in numerum nemo admittebatur, niſi qui aut eius hoſpitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmârat. Ita decemuirali potestate in omnibus vrbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur: cuius de crudelitate, ac perfidia satis est vnam rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerando, fatigemus lectores. Victor ex Asia cum reuerteretur, Thassumqúe deuertisset, quòd ea ciuitas præcipua fide fuerat erga Athenienſes, proinde ac si ijdem firmiſsimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam peruertere concupiuit. Vidit autem, niſi in eo occultasset voluntatem, futurum vt Thaſsij dilaberentur, consulerentqúe rebus suis.

Desideratur hic exemplum Lysandri crudelitatis, & perfidiæ in Thaſsios.

Itaque decemuiralem suam potestatem sui ab illo con-

constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus iniyt consilia, reges Lacedæmoniorum tollere. Sed sentiebat id se sine ope deorum facere non posse, quòd Lacedæmonij omnia ad oracula referre consueuerant. Primùm Delphos corrumpere est conatus. cùm id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus dixit, se vota suscepisse, quæ Ioui Ammoni solueret, existimans se Afros facilius corrupturum. Hac spe cùm profectus esset in Africam, multùm eum antistites Iouis fefellerunt. Nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quòd sacerdotes phani corrumpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, iudicumq; absolutum sententijs, Orchomenijs missus subsidio, occisus est à Thebanis apud Haliartum. Quàm verè de eo foret iudicatum, oratio indicio fuit, quæ post mortem in domo eius reperta est. in qua suadet Lacedæmonijs, vt regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum, sed ita scripta, vt deorum videretur congruere sententiæ, quam ille se habiturum, pecunia fidens, non dubitabat. hanc ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur. Atq; hoc loco non est prætereundum factum Pharnabazi satrapis regij. Nam cùm Lysander præfectus classis in bello multa crudeliter, auareq; feciſſet, deq; his rebus suspicaretur ad ciues suos esse perlatum, petijt à Pharnabazo, vt ad Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset, socioſque tractasset, de eaq; re accuratè scriberet. magnam enim eius auctoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter

raliter pollicetur. librum grauem multis verbis conscripsit, in quo summis eum effert laudibus. quem cùm legisset, probasset q; dum obsignatur, alterum pari magnitudine, vt discerni non posset, signatum subiecit: in quo accuratissimè eius auaritiam, perfidiam q; accusârat. Hinc Lysander domum cùm rediisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quæ voluerat, dixerat, testimonij loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, cùm Ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.

ALCIBIADES.

ALCIBIADES Cliniæ filius, Athenienſis. In hoc natura, quid efficere posit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitijs, vel in virtutibus. Nam in amplissima ciuitate, summo genere, omnium ætatis suæ multo formosissimus, ad omnes res aptus, consilij q; plenus. Nam q; imperator fuit summus mari & terra, disertus, vt in primis dicendo valeret: & tanta erat commendatio oris, atque orationis, vt nemo ei dicendo posset resistere. Idem cùm tempus poscceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita, quàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidissimè inseruiens. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, vt omnes admirarentur, in vno homine tantam inesse dissimilitudinem.

dinem, tamq; diuersam naturam. Educatus est in domo Periclis, (priuignus enim eius fuisse dicitur) eruditus à Socrate. socerum habuit Hipponicum, omnium Græcorum diuitissimum, vt si ipse fingere vellet, neq; plura bona reminisci, neq; maiora posset consequi, quàm vel fortuna, vel natura tribuerat. Ineunte adolescentia amatus est à multis more Græcorum: in eis à Socrate, de quo mentionem facit Plato in symposio. Namq; eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate, neq; aliter ab eo surrexisse, ac filius à parẽte debuerit. Postea, quàm robustior est factus, non minus multos amauit. In quorum amore, quo ad licitum est, odiosa multa delicatè, iocoseq; fecit: quæ referremus, nisi maiora, potioraque haberemus. Bello Peloponnesiaco huius consilio atq; auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt. ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati, Nicias & Lamachus. Id cùm appararetur, prius quàm classis exiret, accidit, vt vna nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, deijcerentur, præter vnam, qui ante ianuam Andocidis erat, Andocidisq; Hermes vocatus est. hoc cùm appareret non sine magna multorum consensione esse factum, quod non ad priuatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, ne qua repentina vis in ciuitate existeret, quæ populi libertatem opprimeret. Hoc maxime conuenire in Alcibiadem videbatur, quod & potentior & maior, quam priuatus, existimabatur. Multos enim liberalitate deuinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat.

derat. Quare fiebat, vt omnium oculos, quotiescunq; in publicum prodisset, ad se conuerteret, neq; ei par quisquã in ciuitate poneretur. Itaq; non solùm spem in eo habebãt maximam, sed etiam timorem, quòd & obesse plurimùm & prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamia quod in domo sua facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Athenienſium: idq; non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur. Hoc crimine in concione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neq; ignorans ciuium suorum consuetudinem, postulabat vt, si quid de se agi vellent, potius de præsenti quæstio haberetur, quàm absens inuidiæ crimine accusaretur. Inimici verò eius quiescendum in præsenti, quia nocere se ei non posse intelligebant, & illud tempus expectandum decreuerunt, quo si exisset, vt sic absentem aggrederentur. Itaq; fecerunt. Nam postquàm in Siciliam eum peruenisse crediderunt, absentem, quòd sacra violasset, reum fecerunt. qua de re cùm ei nuncius à magistratu in Siciliam missus esset, vt domum ad causam dicendam rediret, essetq; in magna spe prouinciæ bene administrandæ, non parere noluit, & in triremem, quæ ad eum deportandum erat. missa, ascendit, ac Thurios in Italiam peruectus, multa secum reputans de immoderata ciuium suorum licentia, crudelitateq; erga nobiles, vtilissimum ratus impendentem euitare tempestatem, clam se à custodibus subduxit, & inde primum Elidem, deinde Thebas venit. Postquàm autem se capitis damnatum bonis publicatis audiuit, &,

id

id quòd vsu venerat, Eumolpidas & Cerycas à populo coactos, vt se deuouerent, eiusq; deuotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedæmonem demigrauit. Ibi, vt ipse prædicare consueuerat, non aduersus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quòd ijdem hostes essent ciuitati. Nam cùm intelligerent se plurimùm prodesse Reipublicæ, ex ea eieciſſe, plusq; iræ suæ, quàm vtilitati communi paruisse. Itaq; huius consilio Lacedæmonij cum Persarum rege amicitiam fecerunt: deinde Deceliam in Attica munierunt, præsidioq; perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem opera Ioniam à societate auerterunt Athenienſium. quo facto, multo superiores bello esse cœperunt. Neq; verò his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam cùm acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt ne charitate patriæ ductus aliquando ab ipsis deficiſceret, & cum suis in gratiam rediret. Itaq; tempus eius interficiendi quærere instituerunt. Id Alcibiadi diutius celari non potuit. erat enim ea sagacitate, vt decipi non posset, præsertim cùm animum attendiſſet ad cauendum. Itaq; ad Tiſſapher-nem præfectum regis Darij se contulit: cuius cùm in intimam amicitiam peruenisset, & Athenienſium, malè gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contrà Lacedæmoniorum crescere videret: initio cùm Piſandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuncios colloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat

enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur, prætorq; fit apud Samum: pòst suffragante Theramene plebiscito restituitur, pariq; absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, vt Lacedæmonij, qui paulo antè victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinq; prælijs terrestribus, tribus naualibus: in quibus ducentas naues triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea vrbes Græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ: quarum expugnauerant quamplures, in his Bizantium. neq; minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, quòd in captos clementia fuerant vsi. Ita præda onusti, locupletato exercitu maximis rebus gestis Athenas venerunt. His cùm obuiam vniuersa ciuitas in Pyræeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, vt ad eius triremem vulgus confluaret, proinde ac si solus aduenisset. Sic enim populo erat persuasum, & aduersas superiores, & præsenteis secũdas res accidisse eius opera. Itaq; & Siciliæ amissum, & Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quòd talem virum è ciuitate expulissent. Neq; id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquàm exercitui præesse cœperat, neq; terra, neq; mari hostes pares esse potuerunt. Hic vt naui egressus est, quãquam Theramenes & Thra-

sybu-

sybulus eisdem rebus præfuerant, simulq; venerant in Pyræum, tamen illum vnum omnes prosequebãtur; &, id quod nunquam antea vsu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis, æneisq; vulgò donabatur. Ille lachrymans talem beneuolentiam ciuium suorum accipiebat, reminiscẽs pristini temporis acerbitatem. Postquàm Asty venit, concione aduocata sic verba fecit, vt nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lachrymârit, inimicumq; his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegij damnasset. Restituta ergo huic sunt publicè bona: ijdem illi Eumolpidæ ac Ceryces rursus resacrare sunt coacti, qui eũ deuouerant, pilaq; illæ, in quibus deuotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minus fuit diuturna. Nam cùm ei essent honores decreti, totaq; respub. domi, belliq; tradita, vt vnius arbitrio gereretur, & ipse postulasset, vt duo sibi collegæ darentur Thrasybulus & Adimantus, neq; id negatum esset, classe in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in inuidiã recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, vt omnia minus prosperè gesta eius culpæ tribuerent, cùm aut eum negligenter, aut malitiosè feciſſe loquerentur, sicut accidit. Nam corruptum à rege, capere Cymen noluisse arguebant. Itaq; huic maximè putamus malo fuisse nimiam opinionem ingenij, atq; virtutis. Timebatur enim non minus, quàm diligebatur, ne secunda fortuna, magnisque opibus elatus tyrannidem concu-

piſceret. quibus rebus factum eſt, vt abſenti magiſtratum abrogarent, & alium in eius locum ſubſtituerent. Id ille vt audiuit, domum reuerti noluit, & ſe Perinthum contulit, ibiq; tria caſtella communiuit, Bornos, Bizyam, Themeonticos: manuq; collecta, primus Græciæ in Thraciam introÿt, glorioſius exiſtimans barbarorum præda locupletari, quàm Graiorum. qua ex re creuerat eius fama cum opibus, magnamq; amicitiam ſibi cum quibuſdam regibus Thraciæ pepererat. neq; tamen à charitate patriæ potuit recedere. Nam cùm apud Ægos flumen Philocles prætor Athenienſium claſſem conſtituiſſet ſuam, neq; longè abeſſet Lyſander prætor Lacedæmoniorum, qui in eo erat occupatus, vt bellum quàm diutiſſimè duceret, quòd ipſis pecunia à rege ſuppeditabatur: contra Athenienſibus exhauſtis, præter arma & naueis nihil erat ſuper: Alcibiades ad Athenienſium venit exercitum, ibiq; præſente vulgo agere cœpit, ſi vellent, ſe coacturum Lyſandrum aut dimicare, aut pacem petere: Lacedæmonios eò nolle confligere claſſe, quòd pedeſtribus copÿs plus quàm nauibus valerent: ſibi autem eſſe facile Seuthen regem Thracum deducere, vt eos terra depelleret: quo facto, neceſſariò aut claſſe conflicturos, aut bellum compoſituros. Id etſi verè dictum Philocles animaduertebat, tamen poſtulata facere noluit, quòd ſentiebat, ſe, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum. &, ſi quid ſecundi euenisſet, nullam in ea re ſuam partem fore: contra ea, ſi quid aduerſi accidiſſet, ſe vnum eius delicti futurum reum. Ab

hoc

hoc discedens Alcibiades, quoniam, inquit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. Neq; ea res illum fefellit. Nam Lysander cùm per speculatores comperisset, vulgum Athenienſium in terram prædatum exisse, naues q; penè inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, eoq; impetu totum bellum deleuit. At Alcibiades victis Athenienſibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillimè suam fortunam occuli posse: falsò. Nam Thraces postquàm eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt, qui ea, quæ apportauit, abstulerunt: ipsum capere non potuerunt. Ille cernens, nullum locum sibi tutum in Græcia, propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transijt. Quem quidem adeo sua cepit humanitate, vt eum nemo in amicitia antecederet. Namq; ei Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquaginta talenta vectigalis habebat. Quæ fortuna Alcibiades non erat contentus, neq; Athenas victas Lacedæmonijs seruire poterat pati. Itaq; ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. Sed videbat id fine rege Persarum non posse fieri. ideoq; eum amicum sibi cupiebat adiungi. neq; dubitabat facilè se consecuturum, si modò eius conueniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clam parare Lacedæmonijs adiuuantibus sciebat. Id si ei aperuisset, magnam se

ab eo initurum gratiam videbat. Hæc cùm moliretur, peteretq; à Pharnabazo, vt ad regem mitteretur, eodem tempore Critias, cæteriq; tyranni Athenienſium certos homines ad Lyſandrum in Aſiam miſerant, qui eum certiorem facerent, niſi Alcibiadem ſuſtuliſſet, nihil earum rerum fore ratum, quas ipſe Athenis conſtituiſſet. Quare ſi ſuas res geſtas manere vellet, illum perſequeretur. His Lacon rebus commotus ſtatuit accuratius ſibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renunciat ſocietatem, quæ regi cum Lacedæmonijs eſſet, ſtare non poſſe fœderaque irrita futura, niſi Alcibiadem viuum, aut mortuum tradidiſſet. Non tulit hoc ſatrapes, & violare clementiam, quàm regis opes minui, maluit. Itaq; miſit Syſametrem & Bagoam ad Alcibiadem interficiendum, cùm ille eſſet in Phrygia, iterq; ad regem compararet. Miſi, clàm vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negocium, vt eum interficiant. Illi cùm eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa domum ſtramineam, in qua quieſcebat, eamq; ſuccenderunt, vt incendio conficeretur, quem manu ſuperari poſſe diffidebant. Ille autem vt ſonitu flammæ excitatus, quòd gladius ei erat ſubductus, familiaris ſui ſubalare telum eripuit. Namq; erat cum eo quidam ex Arcadia hoſpes, qui nunquàm diſcedere voluerat. Hunc ſequi ſe iubet, & id, quod in præſentia veſtimentorum fuit, arripuit. his in ignem eiectis flammæ vim tranſijt. Quem vt Barbari incendium effugiſſe eminus viderunt, telis miſſis interfecerunt. caputq; eius ad Pharnabazum retulerunt. At mulier,

lier, quæ cum eo viuere consueuerat, muliebri sua veste contectũ, ædificij incendio mortuum cremauit, quod ad viuum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta natus, diem obijt supremum. Hunc infamatum à plerisq; tres grauissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem ætatis fuit: Theopompus, qui fuit post aliquanto natus: & Timæus, qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo vno laudando consenserunt. Nam ea quæ suprà diximus, de eo prædicarunt, atq; hoc amplius, cùm Athenis splendidissima ciuitate natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate vitæ superasse: Postquàm inde expulsus Thebas venerit, adeo studijs eorum inseruisse, vt nemo eum labore, corporisq; viribus posset æquiparare. Omnes enim Bœotij magis firmitati corporis, quàm ingenij acumini inseruiunt. Eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiæ se dedidisse, vt parsimonia victus atq; cultus omnes Lacedæmonios vinceret: Fuisse apud Thracas, homines vinolentos, rebusq; venereis deditos: hos quoq; in his rebus anteceßisse: venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriosè viuere, horum sic imitatum consuetudinem, vt illi ipsi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effeciße, vt apud quoscunq; esset, poneretur Princeps, haberetur q; charissimus. Sed satis de hoc, reliquos ordiamur.

THRASYBVLVS.

THRASYBVLVS *Lyci filius Athenienſis. Si per ſe virtus ſine fortuna ponderanda ſit, dubito an hunc primum omnium ponam. Illi ſine dubio neminem præfero fide, conſtantia, magnitudine animi, in patriam amore. nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab vno tyranno patriam liberare, huic contigit, vt à triginta oppreſſam tyrannis è ſeruitute in libertatem vindicaret. Sed neſcio quo modo, cùm eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt. Primùm Peloponneſio bello multa hic ſine Alcibiade geſſit, ille nullam rem ſine hoc: quæ ille vniuerſa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, quod in prælij concurſu abit res conſilio ad vires, vimq; pugnantium. Itaq; iure ſuo nonulla ab imperatore miles, plurima verò fortuna vindicat, ſeq; hîc plus valuiſſe, quàm ducis prudentiam, verè poteſt prædicare. Quare illud magnificentiſſimum factum proprium eſt Thraſybuli. nam cùm triginta tyranni propoſiti à Lacedæmonijs, ſeruitute oppreſſas tenerent Athenas, plurimos ciues, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expuliſſent, partim interfeciſſent, plurimorum bona publicata inter ſe diuiſiſſent: non ſolùm princeps, ſed & ſolus initio bellum his indixit. hic enim cum Phylen confugiſſet, quòd eſt caſtellum in Attica munitiſſimum, non plus habuit ſecum, quàm triginta de ſuis. Hoc initium fuit ſalutis Atticorum, hoc robur libertatis clariſſimæ ciuitatis. Neq; verò hic contemtus*

tus est primò à tyrannis, sed eius solitudo. quæ quidem res & illis contemnentibus, perniciei, & huic despecto, saluti fuit. hæc enim illos ad persequendum segnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Quo magis præceptum illud omnium in animis esse debet, NIHIL IN BELLO OPORTERE CONTEMNI, nec sine causa dici, MATREM TIMIDI FLERE NON SOLERE. Neq; tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. nam iam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebãtur, quàm pugnabãt. Hinc in Pyræum transijt, Munychiamq; muniuit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti, ab eaq; turpiter repulsi, protinus in vrbem armis, impedimentisq; amissis refugerunt. Vsus est Thrasybulus non minus prudentia, quàm fortitudine. nam cedentes violari vetuit. ciues enim ciuibus parcere æquum censebat. neq; quisquã est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. neminẽ iacentem veste spoliauit: nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, & quæ ad victum pertinebant. In secundo prælio cecidit Critias, dux tyrannorum, cùm quidem aduersus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc deiecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum, & eos, qui vrbem tenebant, fecit pacem, his conditionibus, ne qui præter triginta tyrannos, & decem, qui postea præfectores creati, superioris more crudelitatis erant vsi, afficerẽtur exilio, neue cuiusquam bona publicarentur: reipub. procuratio populo redderetur. Præclarum hoc quoq; Thrasybuli, quòd reconcilia-

ta pace cùm plurimum in ciuitate posset, legem tulit, ne quis ante actarum rerum accusaretur: neue multaretur: eamq; illi legem obliuionis appellârunt. neq; verò hanc tantùm ferendam curauit, sed etiam, vt valeret, effecit. nam cùm quidam ex ijs qui simul cum eo in exilio fuerant, eadem facere eorum vellent, cum quibus in gratiã reditũ erat, publicè prohibuit: & id, quòd pollicitus erat, præstitit. Huic pro tantis meritis honoris ergô corona à populo data est, facta duabus virgulis oleaginis: quæ, quòd amor ciuium, non vis, expressérat, nullam habuit inuidiam, magnaq; fuit gloriæ. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, cùm ei Mitylenæi multa millia iugerum agri muneri darent, nolite (rogo vos) inquit, mihi dare, quòd multi inuideant, plures etiam cõcupiscant. quare ex istis nolo amplius, quàm centum iugera, quæ & meam animi æquitatem, & vestram voluntatem indicent. Nam parua munera, diutina; locupletia, non propria esse consueuerunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neq; amplius requisiuit, neq; quenquam honore se anteceßisse existimauit. Hic sequenti tempore cùm prætor classem ad Siciliam appulisset, neq; satis diligenter in castris eius agerentur vigiliæ, à barbaris ex oppido, noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

CONON.

CONON Athenienſis Peloponnesio bello acceßit ad Remp. in eoq; eius opera magni fuit. nam & prætor pedestribus exercitibus præfuit, & præfectus classis res magnas

gnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus et honos habitus est. namq; omnibus vnus insulis præfuit. in qua potestate Pharas cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello prætor, cùm apud Aegos, flumen copiæ Athenienſium à Lysandro sunt deuictæ. Sed tum abfuit, eoq; peius res administrata est. nam & prudens rei militaris, & diligens erat imperij. Itaq; nemini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis cùm patriam obsideri audisset, non quæsiuit, vbi ipse tuto viueret, sed vnde præsidio posset esse ciuibus suis. Itaq; contulit se ad Pharnabazum satrapen Ioniæ & Lydiæ, eundemq; generum regis & propinquum: apud quem vt multùm gratia valeret, multo labore, multisq; effecit periculis. Nam cùm Lacedæmonij Athenienſibus deuictis in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaumq; bellatum misissent in Asiam, maximè impulsi à Thissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, & cum Lacedæmonijs coierat societatem: hunc aduersus Pharnabazus habitus est imperator, re quidem vera exercitui præfuit Conon, eiusq; omnia arbitrio gesta sunt. Hic militum ducem summum Agesilaum impediuit, sæpeq; eius consilijs obstitit. neque verò non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum. Qui postea quàm domum à suis ciuibus reuocatus est, quòd Boëtij & Athenienses Lacedæmonijs bellum indixerant, Conon nihilo secius apud præfectos regis versa-

versabatur, ijsq; omnibus magno erat vsui. Defecerat à rege Tissaphernes neq; id tam Artaxerxi, quàm cæteris, erat apertum. multis enim, magnisq; meritis apud regem, etiam cùm in officio non maneret, valebat. Neq; admirandum, si non facilè ad credendum inducebatur, reminiscens eius se opera Cyrum fratrem superasse. Huius accusandi gratia Conō à Pharnabazo ad regem missus, posteaquam venit, primùm ex more Persarum ad chiliarchum, qui secundum gradum imperij tenebat, Tithraustem accessit, seq; ostendit cum rege colloqui velle. nemo enim sine hoc admittitur. huic ille inquit, nulla mora est: sed tu delibera vtrùm colloqui malis, an per literas edere, quæ cogitas. necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem, quod προσκυνεῖν illi vocant, hoc si tibi graue est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes. Tum Conon, mihi verò, inquit, non est graue quem vis honorem habere regi, sed vereor, ne ciuitati meæ sit opprobrio, si cùm ex ea ciuitate sim profectus, quæ cæteris gentibus imperare consueuerit, potius barbarorum, quàm illius, more fungar. Itaq; quæ volebat, huic scripta tradidit. Quibus cognitis, rex tantum auctoritate eius motus est, vt Tissaphernem hostem iudicârit, & Lacedæmonios bello prosequi iusserit; & ei permiserit, quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negauit sui esse consilij, sed ipsius, qui optimè suos nosse deberet; sed se suadere, Pharnabazo id negocij daret. Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, vt Cyprijs, & Phœnicibus, cæterisq; ciuita-

uitatibus maritimis naues longas imperaret, classemq; quæ proxima æstate mare tueri posset, dato adiutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id vt Lacedæmoniis est nunciatum, non sine cura rem administrârunt, quòd maius bellum imminere arbitrabantur, quàm si cũ barbaro solùm contenderent. Nam ducem fortem & prudentem, regijs opibus præfuturum, ac secum dimicaturũ videbant: quem neq; consilio, neq; copijs superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem, proficiscuntur Pisandro duce. Hos Conon apud Cnidum adortus magno prælio fugat, multas naues capit, complures deprimit. Qua victoria non solum Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte nauium in patriam venit, muros dirutos à Lysandro vtroq; & Pyræei, & Athenarum reficiendos curat: pecuniaq; L. talenta, quæ à Pharnabazo acceperat, ciuibus suis donat. Accidit huic, quod cæteris mortalibus, vt inconsideratior in secunda, quàm in aduersa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum deuicta, cùm vltum se iniurias patriæ putaret, plura concupiuit, quàm efficere potuit. Neq; tamẽ ea non pia & probanda fuerunt, quod potius patriæ opes augeri, quàm regis, maluit. Nam cùm magnam auctoritatem sibi pugna illa nauali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset non solùm inter barbaros, sed etiam inter omnes Græciæ ciuitates, clam dare operam cœpit, vt Ioniam & Aeoliam restitueret Athenienſibus. Id cùm minus diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus præ-

præerat, Cononem euocauit, simulans ad regem eum se mittere velle. Magna festinatione huius nuncio parens cùm venisset, in vincula coniectus est; in quibus aliquandiu fuit. Nonnulli eum ad regem abductum, ibiqúe eum periisse scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit. illud addubitat, vtrum Tiribazo sciente, an imprudente sit factum.

DION.

DION *Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, vtraque implicatus tyrannide Dionysiorum. namq; ille superior Aristomachen, sororem Dionis, habuit in matrimonio, ex qua duos filios Hipparinum & Nysæum procreauit, totidemq; filias Sophrosynen & Areten. quarum priorem Dionysio filio eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosamq; maiorum famam, multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnã corporis dignitatem, quæ non minimùm commendat, magnas præterea diuitias à patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neq; minus propter mores quàm affinitatem. namq; etsi Dionysij crudelitas ei displicebat, tamen esse saluum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa studebat. aderat in magnis rebus: eiusq; consilio multùm mouebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius cupiditas interceſſerat. Legationes verò omnes, quæ essent illustriores, per Dio-*

Dionem administrabantur: quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni, sua humanitate leniebat. Hunc à Dionysio missum, Karthaginienses susceperunt, vt neminem vnquam Græca lingua loquentem magis sint admirati. Neq; verò hæc Dionysium fugiebant. nam quanto esset sibi ornamẽto sentiebat. quo fiebat, vt vni huic maximè indulgeret, neq; eum secus diligeret, ac filium. qui quidem cùm Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, cùm Dion eius audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniã, magnaq; eum ambitione Syracusas perduxit. quẽ Dion adeo admiratus est, atq; adamauit, vt se totum ei traderet. Neq; verò minus Plato delectatus est Dione. Itaq; cùm à Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venundari iussisset, tamen eodem rediit, eiusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius: quo cùm grauiter conflictaretur, quæsiuit à medicis Dion, quemadmodum se haberet, simulq; ab his petijt, si forte maiori esset periculo, vt sibi fatererentur. nam velle se cum eo colloqui de partiẽdo regno, quod sororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium sermonem retulerunt. quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc æger sumpto, somno sopitus, diem obijt supremum. Tale initium fuit Dionis & Dionysij simultatis, eaque multis rebus aucta est: sed tamen primis tempo-

ribus

ribus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. cumq; Dion non desineret obsecrare Dionysium, vt Platonem Athenis arcesseret, & eius consilijs vteretur, ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit. eodemq; tempore Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicū, non magis tyranno, quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. Plato autē tantùm apud Dionysium auctoritate potuit, valuitq; eloquentia, vt ei persuaserit, tyrānidis facere finem, libertatemq; reddere Syracusanis, à qua voluntate Philisti consilio deterritus, aliquāto crudelior esse cœpit. Qui quidem cùm à Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, ne si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, nauem ei triremem dedit, qua Corinthum deueheretur, ostendens, se id vtriusq; facere causa, ne, cùm inter se timerent, alteruter alterū præoccuparet. Id cùm factum multi indignarentur, magnaq; esset inuidia tyranno, Dionysius omnia, quæ moueri poterant, Dionis in naueis imposuit, ad eumq; misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis feciſſe causa. Postea verò quàm audiuit eum in Peloponneso manum comparare, sibiq; bellum facere conari: Aretem Dionis vxorem, alij nuptum dedit: filiumq; eius sic educari iussit, vt indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. nam puero prius, quàm pubes esset, scorta adducebantur: vino, epulisq; obruebatur, neq; vllū tempus sobrio relinquebatur. Is vsq; eò vitæ statum commutatum

ferre

ferre non potuit, vt, post quàm in patriam rediit pater (namq; appositi erant custodes, qui eum à pristino victu deducerent) se superione parte ædium deiecerit, atque ita interierit. Sed illuc reuertor. Postquam Corinthum peruenit Dion, & eodem perfugit Heraclides, ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitum: omni ratione bellum comparare cœperunt. sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis, magnarũ opum putabatur. quã ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion fretus non tam suis copiis, quàm odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum, quingentis longis nauibus, decem equitum, centumq; peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facilè perculit, vt post diem tertium, quàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitũ. Eo tempore aberat Dionysius, et in Italia classem opperiebatur, aduersariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum. quæ res eum fefellit. Nam Dion iis ipsis, qui sub aduersarij fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusq; partis Siciliæ potitus est, quæ sub Dionysij potestate fuerat: pariq; modo vrbis Syracusarũ, præter arcem & insulam adiunctam oppido. eoq; rem perduxit, vt talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet, Siciliam Dion obtineret,

Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem vni habebat Dionysius, Hastam prosperas, tamq; inopinatas res consecuta est subita commutatio, quòd fortuna sua mobilitate, quem paulo antè extulerat, demergere est adorta. primùm in filio, de quo commemoraui supra, suam seuitiam exercuit. nam cùm vxorẽ reduxisset, quæ alij fuerat tradita, filiumq; vellet reuocare ad virtutem, à perdita luxuria, accepit grauissimum parens vulnus morte filij: deinde orta dissensione inter eum, & Heraclidẽ: qui quidem principatum Dioni non concedens, factionem comparauit. neq; enim minus valebat apud optimates: quorum consensu præerat classi, cùm Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit animo æquo Dion, & versum illũ Homeri retulit ex secunda rhapsodia, in quo hæc sententia est; Non posse bene geri remp. multorum imperiis. Quod dictum magna inuidia consecuta est. namq; aperuisse videbatur se omnia in sua potestate esse velle. hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidemq; cùm Syracusas venisset, interficiendũ curauit. quod factũ omnibus maximũ timorem iniecit. nemo enim illo interfecto se tutum putabat. ille autem aduersario remoto licentius eorũ bona, quos sciebat aduersus se sensisse, militibus dispertiuit. quibus diuisis cùm quotidiani maximi fierẽt sumptus, celeriter pecunia deesse cœpit: neq; quo minus porrigere suppetebat, nisi in amicorũ possessiones. id eiusmodi erat, vt, cùm milites

recon-

reconciliasset, amitteret optimates. quarũ rerum cura frangebatur, & insuetus malè audiendi non æquo animo ferebat, de se ab iis malè existimari, quorum paulò antè in cœlũ fuerat elatus laudibus. Vulgus aũt offensa in eum militũ voluntate liberius loquebatur, & tyrannũ non ferendũ dictitabat. Hæc ille metuens, cùm quẽadmodũ sedaret, nesciret, & quorsum euaderent, timeret: Callicrates quidã, ciuis Athenienſis, qui simul cum eo ex Peloponneſo in Siciliã venerat, homo & callidus, & ad fraudẽ acutus, ſine vlla religione ac fide, adit ad Dionẽ, & ait, eum in magno periculo esse, propter offensionẽ populi, & odium militũ: quod nullo modo euitare posset, nisi alicui suorum negocium daret, qui se simularet illi inimicũ, quem inuenisset idoneum. facilè omnium animos cognituru, aduersarios q3 sublaturũ, quòd inimici eius diſſidentis, ſuos ſenſus aperturi forent. Tali consilio probato excepit has partes ipſe Callicrates, & se armat imprudentia Dionis: ad eũ interficiendum socios conquirit, aduersarios eius conuenit, coniuratione confirmat. Res, multis conſciis quæ gereretur, elata refertur ad Aristomachen sororẽ Dionis, vxoremq3 Areten. Illæ timore perterritæ conueniũt, cuius de periculo timebant. At ille negat, à Callicrate fieri sibi insidias. Sed illa, quæ agerentur, fieri præcepto ſuo. Mulieres nihilo ſecius Callicratẽ in ædẽ Proſerpinæ deducũt, ac iurare cogũt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione nõ modo ab incœpto nõ deterritus, ſed ad maturã-

dum concitatus est, verens ne prius consilium aperiretur suum, quàm conatu perfecisset. hac mente proximo die festo, cùm à conuentu se remotum Dion domi teneret, atque in conclaui edito recubuisset: conscijs loca munitiora oppidi tradidit, domum custodijs sepsit, à foribus qui non discederent, certos præfecit: nauem triremem armatis ornat. Philocratiq; fratri suo, tradit: eamq; in portu agitari iubet, vt si exercere remiges vellet, cogitans, si forte consilijs obstitisset fortuna, vt haberet, quo fugeret ad salutem. Suorum autem è numero Zazynthios adolescentes quosdam elegit, cum audacissimos, tum viribus maximis: hisque dat negocium, vt ad Dionem eant inermes, sic vt conueniendi eius gratia viderentur venire. hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, vt limen eius intrârunt, foribus obseratis in lecto cubantem inuadunt: colligant, fit strepitus, adeò vt exaudiri posset foris. Hic sicut antè sæpe dictum est, quàm inuisa sit singularis potentia, & miseranda vita, qui se metui, quàm amari malunt, cuiuis facile intellectu fuit. Namque illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis seruare eum potuissent, quem illi inermes telum foris flagitantes viuum tenebãt. cui cùm succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde cùm multitudo visendi gratia introiisset, nonnulli ab insciis pro noxijs conciduntur, nam celeri rumore delato Dioni vim allatam, multi concurrerant, quibus

bus tale facinus displicebat. Hi falsa suspicione ducti immerentes inermes, vt sceleratos, occidunt. Huius de morte, vt palàm factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. Nam qui viuum eum tyrannũ vocitarant, eundem liberatorem patriæ tyranniq; expulsorem prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, vt eum suo sanguine, si possent, ab Acherunte cuperent redimere. Itaque in vrbe, celeberrimo loco elatus publicè, sepulchri monumẽto donatus est. diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus; quartum post annum, quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

IPHICRATES.

IPHICRATES *Athenienſis non tam genere aut magnitudine rerum geſtarum, quàm diſciplina militari nobilitatus eſt. Fuit enim talis dux, vt non solùm ætatis suæ cum primis compararetur, ſed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multùm verò in bello eſt verſatus, ſæpè exercitibus præfuit, nuſquam culpa malè rem geſſit, ſemper conſilio vicit; tantumq; eo valuit, vt multa in re militari partim noua attulerit, partim meliora fecerit. namq; ille pedeſtria arma mutauit, cùm ante illum imperatores maximis clypeis, breuibusq; haſtis, minutis gladiis, vterentur. Ille contrariò peltam pro parma fecit, à qua poſtea peltaſtæ pedites appellantur, vt ad motus, concurſusq; eſſent leuiores. haſtæ modum dupli-*

cauit. gladios longiores fecit. idem genus loricarum mutauit, & pro ferreis atq; æneis lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit. nam pondere detracto, vt æquè corpus tegerent & leues essent, curauit. Bellum cum Thracibus gessit: Seuthen socium Athenienſium in regnum restituit. Apud Corinthũ tanta seueritate exercitui præfuit, vt nulla vnquam in Græcia neq; exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerint duci: in eamq; consuetudinem adduxit, vt, cùm præliỳ signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, vt singuli ab peritißimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit: quod maximè tota celebratum est Græcia. Iterum eodem bello omnes copias eorũ fugauit. quo facto magnam adeptus est gloriam. Cùm Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Athenienſibus petiuit ducem, quem præficeret exercitui conducto, cuius numerus duodecim millium fuit. quẽ quidem sic omni disciplina militari erudiuit, vt, quẽadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos in summa laude fuerint. Idem subsidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardauit impetus. nam nisi eius aduentus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quàm captam incendio delessent. Fuit autem & animo magno, & corpore, imperatoriaq; forma, vt ipso aspectu cuiuis iniiceret admirationem

sui,

sui, sed in labore remissus nimis, parumq; patiens, vt Theopompus memoriæ prodidit. bonus verò ciuis, fideq; magna. quod cùm in aliis rebus declarauerit, tum maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. namq; Eurydice mater Perdiccæ & Philippi, cum his duobus pueris, Amyntæ mortuo, ad Iphicratem confugit, eiusq; opibus defensa est. Vixit ad senectutem placatis in se suorum ciuium animis. causam capitis semel dixit bello sociali simul cũ Timotheo, eoq; iudicio est absolutus. Menesthea filium reliquit ex Thressa natum, Coti regis filia. Is cùm interrogaretur, vtrum pluris patrẽ matremue faceret: matrem, inquit. Id cùm omnibus mirum videretur: at ille meritò, inquit, facio. Nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit: contrà mater Athenienſem.

CHABRIAS.

CHABRIAS Athenienſis. Hic quoq; in summis habitus est ducibus, resq; multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maximè inuentũ eius in prælio, quod apud Thebas fecit, cùm Bœotiis subsidio veniſſet. namq; in ea victoria fidẽtem summum ducem Ageſilaum, fugatis iam ab eo conducticiis cæteruis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoq; genu scuto, proiectaq; hasta impetum excipere hostiũ docuit. Id nouum Ageſilaus intuens, progredi nõ est ausus, suosq; iam incurrentes tuba reuocauit. Hoc vsq; eò in Græcia fama celebratum est, vt illo statu

Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Athenienſibus in foro conſtituta eſt. Ex quo factum eſt, vt poſtea athletæ, cæteriq; artifices his ſtatibus in ſtatuis ponendis vterentur, in quibus victoriam eſſent adepti. Chabrias autem multa in Europa bella adminiſtrauit, cùm dux Athenienſium eſſet: multa in Ægypto ſua ſponte geſſit. nam Nectanebum adiutum profectus, regnum ei conſtituit. Fecit idem Cypri, ſed publicè ab Athenienſibus Euagoræ adiutor datus, neque prius inde diſceſſit, quàm totam inſulam bello deuinceret. Qua ex re Athenienſes magnã gloriam ſunt adepti. Interim bellum inter Ægyptios & Perſas conflatum eſt: & Athenienſes cum Artaxerxe ſocietatem habebant, Lacedæmonij cum Ægyptiis. à quibus magnas prædas Ageſilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, cum in re nulla Ageſilao cederet, ſua ſponte eos adiutum profectus, Ægyptiæ claſſi præfuit: pedeſtribus copiis Ageſilaus. Tum præfecti regis Perſiæ legatos miſerunt Athenas queſtum, quòd Chabrias aduerſum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienſes diem certam Chabriæ præſtituerunt, quam ante domum niſi rediſſet, capitis ſe illum damnaturos denunciârũt. Hoc ille nuncio Athenas rediit, neque ibi diutius eſt moratus, quàm fuit neceſſe. Non enim libenter erat ante oculos ciuium ſuorum, quòd & viuebat lautè, & indulgebat ſibi liberalius, quàm vt inuidiam vulgi poſſet effugere. Eſt enim hoc commune vitium in magnis

gnis, liberisq; ciuitatibus, vt inuidiæ gloriæ comes sit. & libenter de iis detrahunt, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimùm aberat. Neque verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè Principes fecerunt idem: quòd tantum se ab inuidia putabant afuturos, quãtum à conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimũ Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Dissimilis quidem Chares horum, & factis & moribus, sed tamen Athenis & honoratus, & potens. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. oppugnabant Athenienses Chium. erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes, quiin magistratu erant, auctoritate anteibat, eũq; magis milites, quàm qui præerant, aspiciebant. Quæ res ei maturauit mortem. nam dum primus studet portum intrare, & gubernatorem iubet eo dirigere nauem: ipse sibi perniciei fuit. Cum enim eò penetrasset, cæteræ non sunt secutæ. Quo facto circumfusus hostium concursu, cùm fortissime pugnaret, nauis rostro percussa, cœpit sidere. hinc cùm refugere non posset, si se in mare deiecisset, quòd superat classis Athenienſium, quæ exciperet natantem, perire maluit, quàm armis abiectis nauem relinquere, in qua fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. At ille præstare honestam mortem existimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hostiũ interfectus est.

TIMOTHEVS.

TIMOTHEVS, *Cimonis filius, Athenienſis, hic à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. fuit enim diſertus, impiger, laborioſus, rei militaris peritus, neq; minus ciuitatis regendæ. Multa huius ſunt præclarè facta, ſed hæc maximè illuſtria. Olynthios & Bizantios bello ſubegit. Samum cepit, in qua oppugnanda ſuperiori bello Athenienſes mille & ducenta talenta conſumpſerant. Id ille ſine vlla publica impenſa populo reſtituit. Aduerſum Cotym bella geſſit, ab eo mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit. Cyzicum obſidione liberauit. Ariobarzani ſimul cum Ageſilao auxilio profectus eſt: à quo cùm Laco pecuniam numeratam accepiſſet, ille ciues ſuos agro atque vrbibus augeri maluit, quàm id ſumere, cuius partem domum ſuam ferre poſſet. Itaq; accepit Erichthonem & Seſtũ. Idem claſſi præfectus circumuehens Peloponneſum, Laconicam populatus, claſſem eorum fugauit. Corcyram ſub imperium Athenienſium redegit: ſocioſq; idem adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omneſq; eas gentes, quæ mare illud adiacent. Quo facto Lacedæmonij de diutina contentione deſtiterunt, & ſua ſponte Athenienſibus imperij maritimi principatum conceſſerunt, pacemq; his legibus conſtituerunt, vt Athenienſes mari duces eſſent. Quæ victoria tanta fuit Atticis lætitiæ, vt tum primum aræ paci publice ſint factæ, eiq; deæ puluinar ſit inſtitutum. Cuius laudis vt memoria maneret,*

Tima-

Timotheo publicè statuam in foro posuerunt. qui honos huic uni ante hoc tempus contigit: ut, cùm patri populus statuam posuisset, filio quoq; daret. Sic iuxtà posita recens filij, veterem patris renouauit memoriam. Hic cùm esset magno natu, & magistratus gerere desiisset, bello Athenienses undiq; premi sunt cœpti, defecerat Samus: descierat Hellespontus: Philippus iam tunc valens Macedo multa moliebatur: cui oppositus Chares cùm esset, non satis in eo præsidij putabatur. Fit Menestheus prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, & ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu & sapientia præstantes, quorum consilio uteretur, pater & socer, quòd in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos, amissa posse recuperari. Hi cùm Samum profecti essent, & eodem Chares aduentu eorum cognito cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur: accidit, cùm ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur: quam euitare duo veteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt. At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati: &, ut in sua manu esset fortuna, quò contenderat, peruenit. eodemq; ut sequerentur, ad Timotheum, & Iphicratem nuncium misit. hinc male re gesta, compluribus amissis nauibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, literasq; Athenas publicè misit, sibi procliue fuisse Samum capere, nisi à Timotheo & Iphicrate desertus esset.

Ob

Ob eam rem in crimen vocabantur. populus acer, suspicax, mobilis, aduersarius, inuidus etiam potentiæ, domum reuocat: accusantur proditionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus lisq; eius æstimatur centum talẽtis. Ille odio ingratæ ciuitatis coactus, Chalcidem se contulit. Huius post mortem populus cum eum iudicij sui pœniteret, multa nouem partes detraxit, & decem talenta Cononem eius filium, ad muri quandam partem reficiendam iussit dare. in quo fortunæ varietas est animaduersa. Nam quos annos Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos cum summa ignominia familiæ ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ, sapientisq; vitæ, cùm pleraq; possimus proferre testimonia, vno erimus contenti, quòd ex eo facilè coniici poterit, quàm charus suis fuerit. Cùm Athenis adolescentulus causam diceret, non solum amici, priuatiq; hospites ad eum defendendum conuenerũt, sed etiam in eis Iason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic cùm in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine vllo præsidio venit: tantiq; hospitem fecit, vt mallet se capitis periculum adire, quàm Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc aduersus tamen Timotheus posteà populi iussu bellum gessit: patriæ sanctiora iura, quàm hospitij, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Athenienſium, Iphicratis, Chabriæ, Timothei: neq; post illorum obitum quisquã dux in illa vrbe, fuit dignus memoria.

DA-

DATAMES.

VENIO *nunc ad fortißimum virum, maximiq; consilij, omnium barbarorum, exceptis duobus Karthaginiensibus, Hamilcare, & Annibale. de quo hoc plura referemus, quòd & obscuriora sunt eius gesta pleraque: & ea, quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilij, quo tantùm non omnes superabat, acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. Datames patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primũ militum numero fuit apud Artaxerxem, eorum, qui regiam tuebantur. pater eius Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus fungens primum, qualis esset apparuit in bello, quod rex aduersus Cadusios gessit. namque hic multis millibus hostium & regiorum interfectis, magni fuit eius opera. quo factum est, vt cùm in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur prouincia. Pari se virtute postea præbuit, cùm Autophradates iussu regis bello prosequeretur eos, qui defecerant. namq; eius opera hostes, cùm castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusq; reliquus conseruatus est. qua ex re maioribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus dynastes Paphlagoniæ, antiquo genere natus à Pylæmene illo, quem Homerus Troico bello à Patroclo interfectum ait. Is regis dicto audi-*

ens

ens nõ erat. quam ob causam bello eum persequi constituit, eiq; rei præfecit Datamen propinquum Paphlagonis. namq; ex fratre & sorore erant nati. quam ob causam Datames omnia primum experiri voluit, vt sine armis propinquum ad officium reduceret: Ad quem cùm venisset sine præsidio, quòd ab amico nullas vereretur insidias, penè interiit. nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame amita Paphlagonis. ea, quid ageretur, resciit. filiumq; monuit. Ille fuga periculum euitauit, bellumq; indixit Thyo, in quo cum ab Ariobarzane præfecto Lydiæ & Ioniæ, totiusq; Phrygiæ desertus esset, nihilo segnius perseuerauit, viuumq; Thyum cepit cum vxore & liberis, cuius facti ne prius fama ad regẽ, quàm ipse perueniret, dedit operam. Itaq; omnibus insciis, eò vbi erat rex, venit: posteroq; die Thyum, hominem maximi corporis, terribiliq; facie, quòd & niger, & capillo longo barbaq; erat prolixa, optima veste contexit, quam satrapæ regij gerere consueuerant. ornauit etiam torque, atq; armillis aureis, cæteroq; regio cultu: ipse agresti, dupliciq; amiculo circũdatus, hirtaq; tunica, gerẽs in capite galeam venatoriam, dextra manu clauam, sinistra copulam, qua vinctũ ante se Thyum agebat, vt si feram bestiam captam duceret. Quem cùm omnes prospicerent propter nouitatem ornatus, ignotamq; formam, ob eamq; rem magnus esset concursus: fuit nemo, qui agnosceret Thyũ, qui non regi nunciaret. Ac primo non credidit. Itaq;

Phar-

Pharnabazum misit exploratum. à quo vt rem gestam comperit, statim admitti iussit, magnopere delectatus cùm facto, tum ornatu: In primis quòd nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. Itaq; magnificè Datamem donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo, & Tithrauste ad bellum Ægyptium, pariq; eum, atq; illos, imperio esse iussit. Postea verò quàm Pharnabazum rex reuocauit, illi summa imperij tradita est. Hic cùm maximo studio compararet exercitum, Ægyptumq; proficisci pararet: subitò à rege litteræ sunt ei missæ, vt Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat. quæ gens iacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. namque Aspis saltuosam regionem, castellisq; munitam incolens, non solùm imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, & quæ regi portarentur, abripiebat. Datames, & si longè aberat, ab his regionibus, & à maiore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putauit. Itaq; cum paucis, sed viris fortibus, nauem conscendit, existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem, & imparatum parua manu oppressurum, quàm paratum, quamuis magno exercitu. Hac delatus in Ciliciam, egressus inde, dies, noctesq; iter faciēs, Taurum transiit, eoq;, quò studuerat, venit: quærit quibus locis sit Aspis. cognoscit haud longè abesse, profectumq; eum venatum: quem dum speculatur, aduentus eius causa cognoscitur. Pisidas cū iis, quos secū habebat ad

resisten-

resistendum Aspis comparat. Id Datames vbi audiuit, arma capit, suos sequi iubet, ipse equo concitato ad hostem vehitur. quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit, atque à conatu resistendi deterritus sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens à quãto bello, ad quàm paruam rem principem ducum misisset, seipsum reprehendit, & nuncium ad exercitum Acæum misit, quòd nondum Datamem profectum putabat: qui ei diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusquàm perueniret, quò erat profectus, in itinere conuenit, qui Aspim ducebant. Qua celeritate cùm magnam beneuolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem inuidiam aulicorum excepit, quòd illum vnum pluris, quàm se omnes, fieri videbant. quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit. in quibus docet, eum magno fore in periculo, siquid illo imperante in Ægypto aduersi accidisset. namq; eam esse consuetudinem regum, vt casus aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ. quo facilè fieri vt impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuncientur. illum hoc maiore fore in discrimine, quod quibus rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille litteris cognitis cùm iam ad exercitum Acæum veniisset, quòd non ignorabat ea verè scripta: desciscere

à rege

à rege constituit. neq; tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. nam Androclem Magnetem exercitui præfecit: ipse cum suis in Cappadociam discedit, coniunctamq; huic Paphlagoniam occupat, celans qua voluntate esset in regem. clàm cum Ariobazane facit amicitiam, manum comparat, vrbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus minus prosperè succedebant. Audit Pisidas quasdam copias aduersus se parare. filium eò Aridæum cum exercitu mittit. cadit in prælio adolescens. proficiscitur eò pater non ita cum magna manu, celans quantum vulnus accepisset, quòd prius ad hostem peruenire cupiebat, quàm de malè re gesta fama ad suos peruenirent: ne cognita filij morte animi debilitarentur militum. Quò contenderat, peruenit, iisq; locis castra ponit, vt neq; circumiri multitudine aduersariorum posset, neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes socer eius, præfectus equitũ. is desperatis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames vt audiuit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario, se esse relictum, futurum, vt cæteri consilium sequerentur, in vulgus edit, suo iussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus hostes interficeret. quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. quod si animo strenuo fecissent, futurum, vt aduersarij non possent resistere, cùm intra vallum, & foris cæderentur. Hac re

probata exercitum eduxit, Mithrobarzanem persequitur, qui tantùm, quòd ad hostes peruenerat, Datames signa inferri iubet. Pisidæ noua re commoti, in opinionem adducũtur perfugas mala fide compositoq; fecisse, vt recepti, essent maiori calamitati. primum eos adoriuntur. Illi cùm quid ageretur, aut quare fieret, ignorarẽt, coacti sunt cũ eis pugnare, ad quos transierant, ab hisq; stare, quos reliquerãt. quibus cùm neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames inuadit: primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali consilio vno tempore & proditores perculit, & hostes profligauit: & q; ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem conuertit. Quo neq; acutius vllius imperatoris cogitatum, neq; celerius factum vsquam legimus. Ab hoc tamẽ viro, Scismas maximo natu filius, desciit, & ad regẽ transiit, & de defectione patris detulit. quo nuncio Artaxerxes cõmotus, quòd intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, quod cogitasset, facere auderet, & prius cogitare, quàm conari consuesset. Autophradatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltũ, in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. sed tam subitò copias cõtrahere non potuit. à qua re depulsus cum ea manu, quã contraxerat, locũ delegit talem, vt neq; circumiretur ab hostibus, neq; præteriret aduersarius, quin ancipitibus locis premeretur: &, si dimicare eò vellet, non mul-

multum obesse multitudo hostiū suæ paucitati posset. Hæc etsi Autophradates videbat, satius tamē statuit congredi, quàm cum tantis copiis refugere, aut tam diu vno loco sedere. Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centū millia, quos illi Gardates appellant. eiusdemq; generis III. funditorum. Præterea Capadocum VIII. Armeniorum X. Paphlagonum V. Phrygum X. Lydorum V. Aspendiorum & Pisidarū circiter III. Cilicū II. Captianorum totidem, ex Græcia conductorum III. millia: leuis armaturæ maximū numerum. Has aduersus copias spes omnis consistebat Datami in se, lociq; natura. Namq; huius partem nō habebat vicesimam militū. Quibus fretus conflixit, aduersariorumq; multa millia concidit, cùm de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset. quā ob causam postero die tropæum posuit, quo loco pridie pugnatum. Hinc cùm castra mouisset, vt inferior copiis, ita superior omnibus præliis discedebat, quòd nūquam manum consereret, nisi aduersarios locorum angustiis clausisset. quod perito regionum, callideq; cogitanti sæpe accidebat. Autophradates, cùm bellum duci maiore regis calamitate, quàm aduersariorum, videret, ad pacem, atq; amicitiam hortatus est, vt cum rege in gratiam rediret. Quam ille & si non fidem fore putabat, tamen conditionem accepit, seq; ad Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum, quod rex aduersus Datamem susceperat, sedatum. Autophradates in Phrygiam se recipit. At

Rex quòd implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animaduertit, insidiis interficere studuit. quas ille plerasque vitauit. sicut cùm nunciatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorũ erant numero. de quibus, quòd inimici detulerant, neq; credendum, neque negligendum putauit. experiri voluit verum, falsúmne sibi esset relatum. Itaq; eò profectus est, in quo itinere futuras insidias illi dixerant. Sed elegit corporis statura simillimum sui, eiq; vestitum suum dedit, atq; eo loco ire, quo ipse consueuerat, iussit. Ipse autem ornatus vestitu militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen peruenit, decepti ordine, atq; vestitu, in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, vt parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, vt concurrentes insidiatores animaduertit, tela in eos coniecit. hoc idem cùm vniuersi feciſſent, priusquam peruenirent ad eũ, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est, Mithridatis Ariobarzanis filij dolo. namq; is pollicitus est regi, se eum interfecturum, si ei rex promitteret, vt, quodcunq; vellet, liceret impunè facere: fidemq; de ea re, more Persarũ, dextra dedisset. Hanc vt accepit, simulat se suscepisse cum rege inimicitias: copias parat, & absens amicitiam cum Datame facit, regis prouinciam vexat, castella expugnat, magnas

gnas prædas agit: quarum partem suis dispertit, partem ad Datamem mittit. pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo persuasit homini, se infinitum aduersus regem suscepisse bellum, cum nihilo magis, ne quam suspitionem illi præberet insidiarum, neq; colloquium eius petiuit, neq; in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, vt non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, contineri viderentur. Id cùm satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse maiores exercitus parari, et bellum cum rege suscipi. de qua re, si ei videretur, quo vellet in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur, locusque, quo conueniretur. Huc Mithridates cum vno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribusq; locis separatim gladios obruit, eaq; loca diligenter notat. Ipso autem colloquēdi die, vtriq; locum, qui explorarent, atq; ipsos scrutarētur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hic cùm aliquandiu in colloquio fuissent, & diuersi discessissent, iamq; procul Datames abesset, Mithridates priusquàm ad suos peruenirent, ne quam suspicionem pararet, in eundem locum reuertitur, atq; ibi, vbi telum erat impositum, resedit, vt si à lassitudine cuperet acquiescere: Datamemq; reuocauit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. interim telum, quod latebat, protulit: nudatumq; vagina veste texit, ac Datami venienti ait digrediēdum:

se animaduertisse, locũ quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. quem cùm digito monstraret, & ille conspiceret, auersum ferro trãsfixit: priusq; quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

EPAMINONDAS.

EPAMINONDAS *Polymni filius, Thebanus. de hoc priusquàm scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, néue ea quæ ipsis leuiora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse à principis persona: saltare etiam in vitiis poni. quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur. Cùm autem exprimere imaginem consuetudinis, atq; vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primùm de genere eius: deinde quibus disciplinis, & à quibus sit eruditus: tum de moribus, ingeniiq; facultatibus, & si qua alia digna memoria erũt: postremò de rebus gestis, quæ plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere, pauper iam à maioribus relictus. Eruditus autẽ sic, vt nemo Thebanus magis. nam & citharizare, & cãtare ad chordarum sonum doctus est à Dionysio: qui non minore fuit in musicis gloria, quàm Damon, aut Lamprus, quo-*

quorum peruulgata sunt nomina: carmina cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare à Calliphrone. At Philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, vt adolescens tristem & seuerum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit: neq; prius eum à se dimiserit, quàm doctrinis tantò anteceßit condiscipulos, vt facilè intelligi posset, pari modo omnes in cæteris artibus superaturum. Atq; hæc ad nostram consuetudinem sunt leuia, & potius contemnenda: at in Græcia vtiq; olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est, & palæstræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium seruiuit, quā velocitati. illam enim ad athletarum vsum, hanc ad belli existimabat vtilitatẽ pertinere. Itaq; exercebatur plurimum currendo & luctando, ad eũ finem, quod stans complecti posset, atq; contendere. In armis plurimũ studij consumebat. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona acceßerant. erat enim modestus, prudẽs, grauis, temporibus sapienter vtens, peritus belli, fortis manu, animo maximo: adeò veritatis diligens, vt ne ioco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiens q; admirandum in modum: non solùm populi, sed etiam amicorum ferens iniurias: in primis q; commißa celans: quod interdũ non minus prodest, quàm diserte dicere. Studioßus audiendi. Ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaque cùm in circulum venißet, in quo aut de Repub. disputaretur aut de

philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discesſit, quàm ad finem sermo esset deductus. Paupertatem adeò facilè perpessus est, vt de Repub. nihil præter gloriam cœperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios subleuandos sæpe sic vsus est, vt posſit iudicari omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cùm aut ciuium suorum aliquis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis. & propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, & quantum quisq; daret, pro cuiusq; facultatibus imperabat, eamq; summam cùm faceret, priusquàm acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quærebat, ad eos. qui conferebant: eiq; vt ipsi numerarent, faciebat, vt ille, ad quem ea res perueniebat, sciret quibus, & quantum cuiq; deberet. Tentata autem eius est abstinentia, à Diomedonte Cyziceno, namq; is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. hic magno cum pondere auri Thebas venit, & Micythum adolescẽtulum quinq; talentis ad suam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, & causam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, Nihil, inquit, opus pecunia est. nam si ea rex vult, quæ Thebanis sint vtilia, gratis facere sum paratus. sin autem contraria, non habet auri atq; argenti satis. namq; orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ caritate. Te, qui me incognitum tentasti,

tasti, tuiq3 similem existimasti, non miror, tibi ignosco. sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris. tu argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon cùm rogaret, vt tuto exire, suaq3, quæ attulisset, liceret efferre: istud, inquit, faciam, neq3 tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat ad me ereptum peruenisse, quod delatum accipere noluissem. à quo cùm quæsisset, quò se duci vellet, & ille Athenas dixisset: præsidium dedit, vt eò tutò peruenireț. neq3 verò id satis habuit, sed etiam vt inuiolatus in nauem ascenderet, per Chabriam Athenienſem curauit: de quo suprà mentionem fecimus: abstinentiæ erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibẽdus est: quoniam vno hoc volumine vitam excellentium virorũ complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicârunt. Fuit & disertus, vt nemo Thebanus ei par esset eloquentia: neq3 minus concinnus in breuitate respondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam, indidem Thebis, aduersarium in administranda Repub. satis exercitatum in dicendo, vt Thebanũ scilicet. namq3 illi genti plus inest virium quàm ingenij. Is quòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, vt pacem bello anteferrẽt, ne illius imperatoris opera desideraretur. huic

ille, fallis, inquit, verbo ciues tuos, quòd hos à bello auocas. otij enim nomine seruitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaq; qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis vtendum, non palæstra. Idem ille Meneclides cùm huic obiiceret, quòd liberos non haberet, neq; vxorem duxisset, maximeq; insolentiam, quòd sibi Agamemnonis, bello, gloriam videretur consecutus: at ille, desine, inquit, Meneclide de vxore mihi exprobrare. nam nullius in ista re minus, quàm tuo, vti consilio volo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterij. Quòd autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris, namq; ille cum vniuersa Græcia vix decem annis vnam cepit vrbem: ego contrà ex vna vrbe nostra, dieq; vno, totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberaui. Idem cùm in conuentum venisset Arcadum, petens vt societatem cum Thebanis & Argiuis facerent: contrà Callistratus Athenien sium legatus, qui eloquentia omneis eo præstabat tempore, postularet, vt potius amicitias sequerentur Atticorũ, & in oratione sua multa inuectus esset in Thebanos & Argiuos, in eisq; hoc posuisset, animaduertere debere Arcades, quales vtraq; ciuitas ciues procreasset, ex quibus de cæteris possent iudicare: Argiuos enim fuisse Orestem & Alcmæonem, matricidas: Thebis Oedipum natum, qui cùm patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse. Hic in respondendo Epaminondas cùm de ceteris

teris peroraſſet, poſtquàm ad illa duo opprobria peruenit: admirari ſe dixit ſtultitiã rhetoris Attici, qui non animaduerterit innocentes illos natos, domi ſcelere admiſſo cùm patria eſſent pulſi, receptos eſſe ab Athenienſibus. Sed maximè eius eloquentia eluxit Spartæ, quò cùm omnium ſociorum conueniſſent legati, coram frequentiſſimo legionũ conuentu, ſic Lacedæmoniorum Tyrannidem coarguit, vt non minus illa oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, q̃ poſt apparuit, vt auxilio ſociorũ Lacedæmonij priuarentur. Fuiſſe aũt patientem, ſuorũq̃ iniurias ferentem ciuiũ, quòd ſe patriæ iraſci nefas eſſe duceret, hæc ſunt teſtimonia. Cùm eũ propter inuidiam ciues præficere exercitui noluiſſent, duxq̃ eſſet delectus belli imperitus, cuius errore eò eſſet deducta res illa militũ, vt omnes de ſalute pertimeſcerent, quòd locorum anguſtiis clauſi ab hoſtibus obſidebantur: deſiderari cœpta eſt Epaminondæ diligentia. erat enim ibi priuatus numero militis. à quò cùm peteret opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, & exercitũ obſidione liberatum, domum reduxit incolumẽ. Neq̃ verò hoc ſemel fecit, ſed ſæpius: maxime autẽ fuit illuſtre, cùm in Peloponneſum exercitum duxiſſet aduerſus Lacedæmonios, haberetq̃ collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac ſtrenuus. hìc cùm criminibus aduerſariorum omnes in inuidiam veniſſent, ob eamq̃ rem imperiũ his eſſet abrogatum, atq̃ in eorum locum alij prætores ſucceſ-

succeßiſſent: Epaminondas plebiſcito non paruit, idemq; vt facerent, perſuaſit collegis, & bellum, quod ſuſceperat, geßit. namq; animaduertebat, vbi id feciſſet, totum exercitũ propter prætorum imprudentiam, inſcitiamq; belli periturum. Lex erat Thebis, quæ morte multabat, ſi quis imperium diutius retinuiſſet, quàm lege præfinitum foret. hanc Epaminondas cùm reipub. conſeruandæ cauſa latam videret, ad perniciem ciuitatis conferre noluit, & quatuor menſibus diutius, quàm populus iuſſerat, geßit imperium. Poſtquàm domum reditum eſt, collegæ eius hoc crimine accuſabantur. quibus ille permiſit, vt omnem cauſam in ſe transferrent, ſuaq; opera factum contenderent, vt legi non obedirent. qua defenſione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam reſponſurum putabat, quòd quid diceret, non haberet. At ille in iudicium venit: nihil eorum negauit, quæ aduerſarij crimini dabant, omniaq; quæ collegæ dixerant, confeſſus eſt, neq; recuſauit, quo minus legis pœnam ſubiret: ſed vnũ ab iis petiuit, vt in periculo ſuo conſcriberent. EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MVLTATVS EST, QVOD EOS COEGIT APVD LEVCTRA SVPERARE LACEDAEMONIOS, QVOS ANTE SE IMPERATOREM NEMO BOEOTIORVM AVSVS FVIT ASPICERE. IN ACIE QVOQVE VNO PRAELIO NON SOLVM THEBAS AB INTERITV RETRAXIT, SED ETIAM VNIVERSAM GRAECIAM

CIAM IN LIBERTATEM VINDICAVIT EOQVE RES VTRORVMQVE PERDVXIT, VT THEBANI SPARTAM OPPVGNARENT, LACEDAEMONII SATIS HABERENT, SI SALVI ESSE POSSENT: NEQVE PRIVS BELLARE DESTITIT, QVAM MESSENA CONSTITVTA VRBEM EORVM OBSIDIONE CLAVSIT. *Hæc cùm dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est: neq; quisquam iudex ausus est ferre suffragium. Sic à iudicio capitis maxima discessit gloria. Hic extremo tempore imperator apud Mantinéam, cùm acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus à Lacedæmoniis, quòd in eius vnius pernicie, patriæ sitam putabant salutem; vniuersi in vnum impetum fecerunt, neq; prius abscesserũt, quàm magna cæde facta, multisq; occisis, ipsum Epaminõdam pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt. Huius causa aliquantulum retardati sunt Bœotij: neq; tamen prius pugna excesserunt, quàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas cum animaduerteret mortiferum se vulnus accepisse, simulq; si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum: vsq; eò retinuit, quoad renunciatum est vicisse Bœotios. Id postquàm audiuit, satis, inquit, vixi: inuictus enim morior. Tum ferro extracto confestim exanimatus est. Hic vxorem nunquam duxit. in quo cùm reprehenderetur à Pelopida, qui filiũ habebat infamem: male-*

q;

leq3 eũ in eo patriæ consulere diceret, quòd liberos non relinqueret: vide inquit, ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. neq3 vero stirps mihi potest deesse. namq3 ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est. Quo tempore, duce Pelopida, exsules Thebas occupârunt, & præsidium Lacedæmoniorũ ex arce expulerunt, Epaminondas, quãdiu facta est cædes ciuium, domi se retinuit, quòd neq3 malos defendere volebat, neq3 impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. namq3 omnem ciuilem victoriam, funestam putabat. Idemq3 postquàm ad Cadmiam pugnare cũ Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. Huius de virtutibus, vitaq3 satis erit dictum, si hoc vnum adiunxero, quod nemo eat inficias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post eiusdem interitum, perpetuò alieno paruisse imperio: cum eo, quàmdiu ille præfuerit reipub. caput fuisse totius Græciæ: ex quo intelligi potest vnũ hominem pluris, quàm ciuitatem, fuisse.

PELOPIDAS.

PELOPIDAS Thebanus magis historiis, quàm vulgo, notus: cuius de virtutibus dubito quemadmodum exponam, quòd vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitã eius enarrare, sed historiã videar scribere: si tantũmodo summas attigero, ne rudibus litterarum Græcarũ minus lucidè appareat, quantus fuerit ille vir. Itaq3 vtriq3 rei occurrã, quantũ potero, & mede-

medebor cùm satietati, tum ignorantiæ lectorũ. Phœbidas Lacedæmonius, cùm exercitũ Olynthum duceret, iterq; per Thebas faceret, arcẽ oppidi, quæ Cadméa nominatur, occupauit, impulsu perpaucorum Thebanorum, qui aduersariæ factioni quo facilius resisterent, Laconũ rebus studebant: idq; suo priuato, nõ publico, fecit cõsilio. quo facto eũ Lacedæmonij ab exercitu remouerũt, pecuniaq; multarũt: neq; eo magis arcem Thebanis reddiderunt, quod susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quàm liberari. Nam post Peloponnesiũ bellum, Athenasq; deuictas, cum Thebanis sibi rẽ esse existimabant: & eos esse solos, qui aduersus resistere auderent. Hac mẽte amicis suis sũmas potestates dederãt, alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exiliũ eiecerant. in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat. Hi omnes ferè Athenas se contulerant, non vt sequerentur ociũ, sed vt quẽcunq; ex proximo locũ fors obtulisset, eo patriã recuperare niterentur. Itaq; cum tẽpus est visum rei gerendæ, communiter cũ his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos, ciuitatẽq; liberãdam eũ, quo maximi magistratus simul consueuerãt epulari. Magnæ sæpe res, non ita magnis copiis sunt gestæ: sed profectò nunquam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. nam duodecim adolescentuli coierunt ex iis, qui exsulio erant multati, cũ omnino nõ essent amplius cẽtum, qui tanto se offerrent periculo.

qua

qua paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hic enim non magis aduersariorũ factioni, quã Spartanis eo tempore bellum intulerunt: qui principes erant totius Græciæ. quorum imperiosa maiestas neq; ita multo post Leuctricam pugnam ab hoc initio perculsa cecidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, cùm Athenis interdiu exissent, vt vesperascente cœlo Thebas possent peruenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. qui cum tempore ipso, quo studuerant, peruenissent, domum Charonis deuerterunt, à quo & tempus & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi seiunctũ à re proposita est, NIMIA FIDVCIA QVANTÆ CALAMITATI SOLEAT ESSE. Nam magistra tuum Thebanorũ statim ad aures peruenit, exules in vrbem deuenisse. id illi vino, epulisq; dediti, vsq; eo despexerunt, vt ne quærere quidem de tanta re laborarint. accessit etiã, quod magis aperiret eorum dementiam. allata est enim epistola Athenis ab Archia hierophante Archiæ, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat: in qua omnia de profectione exulum scripta erant. quæ cùm iam accubanti in conuiuio esset data, sicut erat signata, in puluinum subiiciens, in crastinũ, inquit, differo res seueras. At illi omnes, cùm iam nox processisset, vinolenti ab exsulibus duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemq; vocato, nõ solùm qui in vrbe erant,

sed

sed etiam vndiq; ex agris concurrerunt, præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberârunt. auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exsulium eiecerunt. Hoc tam turbido tempore (sicut supra docuimus.) Epaminondas, quoad cum ciuibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaq; hac liberandarum Thebarum, propria laus est Pelopidæ: cetera ferè omnes communes cum Epaminonda. namque Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus, quæ prima phalangem prostrauit Laconum. omnibus præterea periculis affuit, sicut Spartam cùm oppugnauit, alterum tenuit cornu: quoq; Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Deniq; hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita vt proxima esset Epaminondæ. Conflictatus autem est cum aduersa fortuna. nam & initio (sicut ostendimus) exsul patria caruit: & cùm Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisq; iure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset, à tyranno Alexandro Pheræo simul cum Ismenia comprehensus, in vincula coniectus est. Hunc Epaminondas recuperauit bello persequens Alexandrum. Post id factum, nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus. Itaq; persuasit Thebanis, vt subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannosq; eius expellerent. Cuius belli summa cum ei esset data, eoq; cum exercitu profectus esset, non dubitauit, simulac conspexit hostem, confligere. in quo prælio Alexandrum

vt animaduertit, incensus ira equum in eum concitauit, proculq; digressus à suis, coniectu telorum confossus, cecidit. Atque hoc secunda victoria accidit. nam iam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes Thessaliæ ciuitates interfectum Pelopidam coronis aureis, & statuis aneis, liberosq; eius, multo agro donauerunt.

AGESILAVS.

AGESILAVS Lacedæmonius, cùm à ceteris scriptoribus, tùm eximiè à Xenophonte Socratico collaudatus est. eo enim vsus est familiarissimè. Hic primum de regno cum Leotychide fratris filio habuit contentionem. Mos est enim à maioribus Lacedæmonijs traditus, vt duos haberent semper reges, nomine magis, quàm imperio, ex duabus familijs Proclis & Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat. itaq; vterque suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qui maximus natu esset ex liberis eius, qui regnans decessisset. sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai. filium reliquerat Leotychidem, quem ille viuus non agnôrat: eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao suo patruo contendit: neq; id, quod petiuit, consecutus est. nam Lysandro suffragante, homine (vt ostendimus suprà) factioso, & his temporibus potente, Agesilaus antelatus est. Hic simulatq; imperij potitus est, persuasit La-

Lacedæmonijs, vt exercitum emitterent in Asiam, bellumq; regi facerent, docens satius esse in Asia, quàm in Europa, dimicare. namq; fama exierat, Artaxerxem comparare classem, pedestresq; exercitus, quos in Graciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate vsus est, vt prius in Asiam cum copijs peruenerit, quàm regij satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, vt omnes imperatores imparatos, imprudentesq; offenderet. Id vt cognouit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios, inducias à Lacone petiuit, simulans se dare operam, vt Lacedæmonijs cum rege conueniret: re autem vera ad copias comparandas: easq; impetrauit trimestres. Iurauit autem vterq; se sine dolo inducias conseruaturum: in qua pactione summa fide mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum comparauit. Id & si sentiebat Laco, tamen iusiurandum seruabat, multumq; in eo consequi se dicebat, quòd Tissaphernes periurio suo & homines suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet: se autem seruata religione cõfirmare exercitum, cùm animaduerteret deorum numen facere secum, hominesq; sibi conciliari, quòd his studere consuessent, quos conseruare fidem viderent. Postquàm inducirarum præteriit dies, barbarus non dubitans, quòd ipsius erant plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eò potissimùm hostes impetum facturos: omnes suas copias eò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se conuertit, eamq; prius depopulatus est, quàm

Tissaphernes vsquam se moueret. Magna præda militibus locupletatis Ephesum hyematum exercitum reduxit, atq; ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum parauit: & quo studiosius armarentur, insigniusq; ornarentur, præmia proposuit quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, vt, qui ceteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, vt & ornatißimum, & exercitatißimum haberet exercitum. Huic cùm tempus esset visum copias extrahere ex hybernaculis: vidit, si, quò esset iter facturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros, aliasq; regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum, ac pronunciasset. Itaq; cùm ille Sardis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putauit. In quo cum eum opinio fefellisset, victumq; se vidisset consilio: serò suis præsidio profectus est. nam cùm illò venisset, iam Agesilaus multis locis expugnatis magna erat præda potitus. Laco autem, cùm videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo quotiescunq; congressus est, multo maiores aduersariorum copias, & sic in Asia versatus est, vt omnium opinione victor duceretur. Hic cum animo meditaretur proficisci in Persas: & ipsum regem adoriri, nuncius ei domo venit Ephorûm iussu, bellum, Athenienses & Bœotios indixisse Lacedæmonijs: quare venire non dubitaret. In hoc non minus eius pietas suscipienda

est,

est, quàm virtus bellica: qui cùm victori præesset exercitui, maximamq; haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratuũ, vt si priuatus in comitio esset Spartæ. cuius exemplum vtinam imperatores nostri sequi voluissent. sed illuc redeamus, Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multoq; gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quàm si bello Asiam superasset. Hac igitur mente Hellespontum copias traiecit. tantaq; vsus est celeritate, vt, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. Cùm iam haud longè abesset à Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses & Bœotij, ceteriq; eorum socij, apud Coronéam: quos omnes graui prælio vicit. Huius victoriæ vel maxima fuit laus, quòd cùm pleriq; ex fuga se in templum Mineruæ coniecissent, quæreturq; ab eo, quid his fieri vellet, etsi aliquot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qui aduersus arma tulerant, tamen ante tulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neq; hoc solùm in Græcia fecit, vt templa deorum sancta haberet: sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra, araſq; conseruauit. Itaq; prædicabat mirari se non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent: aut non grauioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quàm qui fana spoliarent. Post hoc prælium, collatum est omne bellum circa Corinthum: ideoq; Corinthium est appellatum. Hic cùm vna pugna decem millia hostium, Agesilao du-

ce, cecidissent : eoq; facto opes aduersariorum debilitatæ viderentur : tantum abfuit ab insolentia gloriæ, vt commiseratus sit fortunam Græciæ, quòd tam multi à se victi vitio aduersariorum concidissent. namq; illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse. Idem cùm aduersarios intra mœnia compulisset, & vt Corinthum oppugnaret, multi hortarentur : negauit id suæ virtuti conuenire. se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, nõ qui vrbes nobilissimas expugnaret Græciæ. nam si inquit, eos extinguere voluerimus, qui nobiscum aduersus barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnauerimus, illis quiescentibus. quo facto sine negocio, cùm voluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmonijs, quò ne proficisceretur, cùm à plerisq; ad exeundum premeretur, vt si de exitu diuinaret, exire noluit. Idem cùm Epaminondas Spartam oppugnaret, essetq; sine muris oppidum, talem se imperatorem præbuit, vt eo tẽpore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse, in quo quidem discrimine celeritas eius consilij saluti fuit vniuersis, nam cùm quidam adolescentuli hostium aduentu perterriti ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra vrbem editum cepissent : Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animaduersum esset, quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit, atq; vt si bono animo fecissent, laudauit cõsilium eorum, quòd eum locum occupassent, & se, id quoq; fieri debere, animaduertisse. Sic adolescentulos

tulos simulata laudatione recuperauit, & adiunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. namq; illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilij, commouere se non sunt ausi, eoq; libentius, quòd latere arbitrabantur, quæ cogitarant. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonij se nunquam refecerunt, neq; pristinũ imperium recuperarunt: cùm interim Agesilaus non desistit, quibuscunq; rebus posset patriam iuuare. nam cùm præcipuè Lacedæmonij indigerent pecunia: ille omnibus, qui à rege defecerant, præsidio fuit. à quibus magna donatus pecunia, patriam subleuauit. Atq; in hoc illud in primis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus, & dynastis, ciuitatibusq; conferrentur, nihil unquã in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutauit. Domo eadem fuit contentus, quæ Euristhenes, progenitor maiorũ suorum fuerat vsus: quã qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: Contrà plurima patientiæ, atq; abstinentiæ. Sic enim erat instructa, vt nulla in re differret à cuiusuis inopis atq; priuati. Atq; hic tantus vir vt naturã fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem: atq; ignoti faciem eius cùm intuerentur, contemnebant. qui autem virtutem nouerant, non poterant admirari satis. Quod ei vsu venit, cùm annorũ octoginta subsidio Thaco in Aegyptum iuisset, & in acta cum suis accubuisset, sine vllo tecto: stratumq; haberet tale, vt ter-

ra tecta esset stramentis: neq; huc amplius, quam pellis esset iniecta, eodemque comites omnes accubuissent, vestitu humili, atq; obsoleto, vt eorum ornatus non modò in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Huius de aduentu fama cùm ad regios esset perlata, celeriter munera eò cuiusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaum vix fides facta est vnum esse ex ijs, qui tum accubabant. Qui cùm regis verbis, quæ attulerant, dedissent, ille præter vitulina & huiusmodi genera opsonij, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit. vnguenta, coronas, secundamque mensam seruis dispertijt, ceteraq; referri iussit. Quo facto eum barbari magis etiam contemserunt, quòd eum ignorantia bonarum rerum illa potissimùm sumsisse arbitrabantur. Hic cùm ex Aegypto reuerteretur, donatus à rege Nectanabe ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret: venisset q; in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas & Aegyptum: in morbum implicitus decessit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferri possent, quòd mel non habebant, cera circumfuderunt: atq; ita domum retulerunt.

EVMENES.

EVMENES Cardianus. *Huius si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior fuisset, sed multo illustrior, atq; etiam honoratior, quòd magnos homines virtute metiuntur, non fortuna prudentes. Nam cùm atas eius incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent, multum ei detraxit viuenti, quòd aliena erat ci-*

uita-

uitatis, neq; aliud huic defuit, quam generosa stirps. tametsi enim ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indignè ferebant: neq; tamen non patiebantur. vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate & celeritate ingenij. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filij: breuiq; tempore in intimam peruenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adolescentulo indoles virtutis. Itaq; eum habuit ad manum scribæ loco: quòd multo apud Graios honorificentius est, quàm apud Romanos. nam apud nos reuera, sicut sunt, mercenarij scribæ existimantur. at apud illos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita, quòd necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrũ annos tredecim. Nouissimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ, quæ hetærice appellabatur. Vtriq; autem consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Alexandro Babylone mortuo, cùm regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidẽ, cui Alexander moriens annulum suũ dederat, Perdiccæ, ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam peruenissent: aberant enim Craterus, & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephæstio, quem viuum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat: Hoc

tempore data est Eumeni Cappadocia, siue potius dicta. nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quòd in homine fidem & industriam magnam videbat, non dubitans, si eum pellexisset, magno vsui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim, quod ferè omnes in magnis imperijs concupiscunt, omnium partes corripere, atq; complecti. Neq; verò hoc solus fecit, sed ceteri quoq; omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare destinauerat. Is multis magnisq; pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, vt Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Cùm eum perducere non posset, interficere conatus est: & fecisset, nisi ille clàm noctu ex præsidijs eius effugisset. Interim conflata sunt illa bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesq; concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. quem & si infirmum videbat, quòd vnus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit, neque salutis, quàm fidei fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem iacet, atq; Hellespontum: & illum vnum opposuerat Europæis aduersarijs. Ipse Aegyptum oppugnatum aduersus Ptolemæum erat profectus. Eumenes cùm neq; magnas copias, neq; firmas haberet, quòd inexercitatæ, & non multo ante erant contractæ, aduentare autem dicerentur, Hellespontumq; transcurrisse Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cùm claritate, tum vsu belli præstantes: Macedones verò mili-

milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperij potirentur. Eumenes igitur intelligebat si copiæ suæ, cognoscerent, aduersus quos ducerentur, non modò non iturας, sed simul cum nuncio dilapsuras. Itaq; hoc eius fuit prudentissimum consilium, vt deuijs itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent: & his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. Itaq; tenuit hoc propositum, & prius in aciem exercitum eduxit, prælium q; commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, vt equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quàm peditatu, quo erat deterior. Quorum acerrimo concursu cùm magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qui secundum locum imperij tenebat. cum hoc concurrit ipse Eumenes. qui cùm inter se complexi, in terram ex equis decidissent, vt facilè intelligi posset inimica mente contendisse, animoq; magis etiam pugnasse, quàm corpore: non prius distracti sunt, quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neq; eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, quòd in ea loca erat deductus, vt inuito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petijt. quam cùm impetrasset, in fide non mansit, & se, simulac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semiuiuum elatum recrea-

recreare studuit. cùm id non posset, pro hominis dignitate, proq3 pristina amicitia (namq3 illo vsus erat Alexandro viuo familiariter) amplo funere extulit, ossaq3 in Macedoniam vxori eius, ac liberis remisit. Hac dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono: rerumq3 summa ad Antipatrum defertur. Hîc, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur, in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neq3 eo secius bellum administrauit. sed exiles res animi magnitudinem, & si non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequens Antigonus, cùm omni genere copiarum abundaret, sæpe in itineribus vexabatur: neq3 vnquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci possent multis resistere. Sed extremo tempore cùm consilio capi non posset, multitudine circumuentus est. hinc tamen multis suis amissis, se expediuit, & in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit. In quo cum circumsederetur, & vereretur, ne vno loco manens, equos militares perderet, quòd spatium non esset agitandi: callidum fuit eius inuentum, quemadmodũ stans iumentum calefieri, exercerique posset, quo libentius & cibo vteretur, & à corporis motu non remoueretur. Substringebat caput loro altius, quàm vt prioribus pedibus planè terram posset attingere. deinde pòst verberibus cogebat exsultare, & calces remittere. qui motus non minus sudorem excutiebat, quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum.

vt iu-

vt iumenta æque nitida ex castello educeret, cùm complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus & planis ea locis habuisset. Quotiescunq; voluit & apparatum & munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit. Tenuit autem se vno loco, quamdiu fuit hyems. quòd castrum subsidia habere non poterat, ver appropinquabat: simulata deditione, dum de condicionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit: seq;, ac suos omnes extraxit incolumes. Ad hunc Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, cùm litteras & nuncios misisset in Asiam consultum, vtrum repetitum Macedoniam veniret, (nam tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet, an in Epiro maneret, huic ille primum suasit, ne se moueret, & expectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum obliuisceretur, & in neminem acerbiore vteretur imperio. Horum nihil ea fecit. nam & in Macedoniam profecta est, & ibi crudelissimè se gessit. Petit autem ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domus & familiæ inimicissimos regnare, amicissimos interire, ferretq; opem liberis Alexandri. quam veniam si sibi daret, quam primum exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. id quod facilius faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebãt, misisse litteras, vt ei parerent, eiusq; consilijs vterentur. His verbis Eumenes permòtus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire benemeritis referentem gratiam, quàm ingratum viuere. Itaq; copias contraxit, bellum aduersus Antigonum

gonum comparauit. quod vnà erunt Macedones complures nobiles, in his Peuceſtes, qui corporis cuſtos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Perſidem: & Teutamus, cuius ſub imperio phalanx erat Macedonum: inuidiam verens, (quam tamen effugere non potuit) ſi potius ipſe alienigena ſummi imperij potiretur, quàm alij Macedonum, quorum ibi erat multitudo: in principijs nomine Alexandri ſtatuit tabernaculum, in eoq; ſellam auream cum ſceptro ac diademate iuſſit poni, eoq; omnes quotidiè conuenire, vt ibi de ſummis rebus conſilia caperentur, credēs minore ſe inuidia fore, ſi ſpecie imperij, nominiſq; ſimulatione Alexandri bellum videretur adminiſtrare. quod & fecit. nam cùm non ad Eumenis principia, ſed ad regia conueniretur, atq; ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cum tamen per eum vnum gererentur omnia. Hic in Paratacis cum Antigono conflixit, non acie inſtructa, ſed in itinere, eumq; malè acceptum in Mediam hiematum coegit redire. ipſe infinitima regione Perſidis hiematum copias diuiſit, non vt voluit, ſed militum vt cogebat voluntas. namq; illa phalanx Alexandri Magni, quæ Aſiam peragrarat, deuicerat q; Perſas, inueterata cùm gloria, tum etiam licentia non parere ſe ducibus, ſed imperare poſtulabat: vt nunc veterani faciunt. Itaq; periculum eſt, ne faciant, quod illi fecerunt ſua intemperantia, nimiaq; licentia, vt omnia perdant, neq; minus eos cum quibus ſteterint, quam aduerſus quos fecerint. quod ſi quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoſcat: neq; rem

vllam,

vllam, nisi tempus, interesse iudicet. sed ad illos reuertar. Hiberna sumpserant non ad vsum belli, sed ad ipsorum luxuriam: longeq; inter se discesserant. Hoc Antigonus cùm comperisset, intelligeretq; se parem non esse paratis aduersarijs, statuit aliquid sibi consilij noui esse capiendum. Duæ erant viæ, quà ex Medis, vbi ille hiemabat, ad aduersariorum hibernacula posset perueniri. quarum breuior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, cæterùm dierum erat ferè decem. illa autẽ, quà omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa, omniumq; rerum abundans. hac si proficisceretur, intelligebat prius aduersarios rescituros de suo aduentu, quàm ille tertiam partem confecisset itineris. sin per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendã imperauit quàm plurimos vtres, atq; etiam culleos comparari: post hæc pabulum: præterea cibaria cocta decem dierum: vtq; quam minimè fieret ignis in castris, iterq; quod habebat, omnes celat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur. Dimidium fere spatium confecerat, cùm ex fumo castrorum eius, suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. conueniunt duces. quæritur quid opus sit facto. intelligebant omnes tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quàm Antigonus affuturus videbatur. Hîc omnibus titubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, & imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. nam quod diebus quinque hostis tran-

transisse posset, se effecturum, vt non minus totidem dierum spacio retardaretur: quare circumirent, suasq; quisque copias contraheret. Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obuij erant itineri aduersariorum. hisq; præcepit, vt prima nocte quàm latissimè possint, ignes faciant quàm maximos: atq; hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant, & assimulata castrorum consuetudine suspicionem inijciant hostibus, in his locis esse castra, ac de eorum aduentu esse pronunciatum: idemq; postera nocte faciant. quibus imperatum erat, diligenter præceptum curant. Antigonus tenebris obortis ignes conspicatur: credit de suo aduentu esse auditum, & aduersarios illuc suas contraxisse copias. mutat consilium, & quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, & illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit, ibiqúe diem vnum operitur ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret. Hic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio, celeritatemq; impediuit eius, neq; tamen multum profecit. nam inuidia ducum, cum quibus erat, perfidiaq; militum Macedonum veteranorum, cùm superior prælio discessisset, Antigono est deditus, cum exercitus ei ter antè separatis temporibus iurasset, se eum defensurum, nec vnquam desertu-rum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, vt fidem amittere mallent, quàm eum non prodere. Atq; hunc Antigonus, cum ei fuisset infestissimus, conseruas-

set, si

set, si per suos esset licitum, quòd ab nullo se plus adiuuari posse intelligebat in his rebus, quas impendere iam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus iam valentes: cum quibus ei de summis rebus erat dimicãdum. sed non passi sunt ij, qui circa erant, quòd videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parui futuros. Ipse autem Antigonus adeò erat incensus, vt, nisi magna spe maximarum rerum, leniri non posset. Itaq; cùm eum in custodiam dedisset, & præfectus custodum quæsisset, quemadmodum seruari vellet: vt acerrimũ, inquit, leonem, aut ferocissimum elephantum. nondum enim statuerat, conseruaret eum, nec ne. Veniebat autem ad Eumenem vtrung; genus hominum, & qui propter odium fructum oculis ex eius casu capere vellent, & qui propter veterem amicitiam colloqui, consolariq; cuperent. multi etiam qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tam diu, tamq; valdè timuissent, cuius in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, cùm diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperij erat custodia, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur. non enim hoc conuenire Antigoni prudentiæ, vt sic se vteretur victo. quin aut interfici, aut missum fieri iuberet. Hic cùm ferocius Onomarcho loqui videretur, quid? tu, inquit, animo si isto eras, cur non prælio cecidisti potius, quàm in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, vtinam quidem istud euenisset,

nisset, inquit: sed eò non accidit, quòd nunquam cum fortiore sum congressus. non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia, décidi. Neq; id falsum. nam & dignitate fuit honesta, & viribus ad laborem ferendum firmis, neq; tam magno corpore, quàm figura venusta. De hoc Antigonus cùm solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic cùm pleriq; omnes primò perturbati admirarentur, non iam de eo sumtum esse supplicium, à quo tot annos adeò essent male habiti, vt sæpe ad desperationem forent adducti: quiq; maximos duces interfecisset deniq; in quo vno esset tantum, vt, quoad ille viueret, ipsi securi esse non possent: interfecto nihil habituri negocij essent: postremò si illi redderet salutem, quærebant, quibus amicis esset vsurus. sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic cognita consilij voluntate, tamen vsq; ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. tum autem cùm vereretur, ne qua seditio exercitus oriretur, vetuit ad eum quenquam admitti, & quotidianum victum amoueri iussit. nam negabat se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non amplius, q tàm triduum, fame fatigatus, cùm castra mouerentur, insciente Antigono iugualtus est à custodibus. Sic Eumenes annorum quinq; & quadraginta, cùm ab anno vicesimo (vt suprà ostendimus) septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum e-

undem

undem locum obtinuisset, in his vni equitũ alæ præfuisset, post autem Alexandri Magni mortem, imperator exercitus duxisset, summosq; duces partim repulisset, partim interfecisset: captus non Antigoni virtute sed Macedonum periurio, talem habuit exitum vitæ. De quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillimè potest iudicari, quòd nemo Eumene viuo rex appellatus est, sed præfectus. iidem post huius occasum, statim regium ornatum, nomẽq; sumserunt: neque, quod initio prædicarant, se Alexandri liberis regnum seruare, id præstare voluerũt, & vno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Huius sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolomæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum, propinquis eius sepeliendum tradidit. qui militari, honestoq; funere, comitante toto exercitu, humauerunt, ossaq; eius in Cappadociam ad matrem, atque vxorem, liberosq; eius deportanda curârunt.

PHOCIO.

PHOCION Athenienſis etsi sæpè exercitibus præfuit, summosq; magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas est vitæ, quàm rei militaris labor. Itaq; huius memoria est nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine Bonus est appellatus. Fuit

enim perpetuò pauper, cum diuitißimus eſſe poſſet propter frequenteis delatos honores, poteſtatesq; ſummas, quæ ei à populo mandabantur. Hic cùm à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatiq; hortarentur accipere, ſimulq; admonerent, ſi ipſe his facilè careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet in ſumma paupertate tantam paternam tueri gloriam: Hìc ille, ſi mei ſimiles erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: ſin diſſimiles ſunt futuri: nolo meis impenſis illorum ali, augeriq; luxuriam. Eidem cùm propè ad annum octogeſimum proſpera permanſiſſet fortuna, extremis temporibus magnum in odiũ peruenit ſuorum ciuium. Primò cum Demade de vrbe tradenda Antipatro, conſenſerat: eiusq; conſilio Demoſthenes cum ceteris, qui bene de repub. mereri exiſtimabantur, plebiſcito in exſulium erant expulſi. Neq; in eo ſolùm offenderat, quod patriæ malè conſuluerat, ſed etiam quod amicitiæ fidem non præſtiterat. namq; auctus, adiutusq; à Demoſthene, eum, quem tenebat, aſcenderat gradum, cùm aduerſus Charetem eum ſubornaret: ab eodem in iudiciis, cum capitis cauſam diceret, defenſus, aliquoties liberatus diſceſſerat. hunc non ſolùm in periculis non defendit, ſed etiam prodidit. Concidit autem maximè vno crimine, quia cùm apud eum ſummum eſſet imperium populi, & Nicanorem Caſſandri præfectum inſidiari Piræo Athenienſium à Dercyllo moneretur: idemq;

poſtu-

postularet, vt prouideret, ne commeatibus ciuitas priuaretur: hinc, audiente populo, Phocio negauit esse periculum, seq; eius rei obsidem fore pollicitus est. neq; ita multo post Nicanor Piræo est potitus. ad quem recuperandum cùm populus armatus concurrisset: ille non modo neminem ad arma vocauit, sed ne armatis quidem præesse voluit. sine quo Athenæ omnino esse non possunt. Erant eo tempore Athenis duæ factiones: quarum vna populi causam agebat, altera optimatium. in hac erat Phocio, & Demetrius Phalereus. harum vtraq; Macedonum patrociniis nitebatur. nam populares Polyperchonti fauebant: optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte Cassander Macedonia pulsus est: quo facto populus superior factus, statim duces aduersariæ factionis capitis damnatos patria pepulit: in his Phocionem & Demetrium Phalereum: deq; ea re legatos ad Polyperchontem misit, qui ab eo peterent, vt sua decreta confirmaret. huc eodem profectus est & Phocio, quò vt venit, causam apud Philippū regem verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem iussus est dicere. namq; is tum regis rebus præerat. Hic cùm ab Agnonide accusatus esset, quòd Pyræum Nicanori prodidisset: ex consilij sententia in custodiam coniectus, Athenas deductus est, vt ibi de eo legibus fieret iudicium. Huc vbi peruentum est, cùm propter ætatem pedibus iam non valeret, vehiculoq; portaretur: magni concursus sunt facti: cùm alij reminiscentes

veteris famæ, ætatis misererentur: plurimi verò iræ exacuerentur, propter proditionis suspicionem Piræi: maximeq3, quod aduersus populi commoda in senectute steterat. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas, & dicendi causam. Inde iudicio legitimis quibusdam confectis damnatus, traditus est vndecimuiris, quibus ad supplicium, more Atheniensium publicè damnati tradi solent. Hic cùm ad mortem duceretur, obuius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat vsus. Is cùm lachrymans dixisset, ô quàm indigna perpeteris Phocio: huic ille; at non inopinata, inquit. hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses. In hoc tantùm fuit odium multitudinis, vt nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaq3 à seruis sepultus est.

TIMOLEON.

TIMOLEON Corinthius. sine dubio magnus omnium iudicio hic vir exstitit. namq3 huic vni contigit, quod nescio an nulli, vt patriam, in qua erat natus, oppressam à tyranno liberaret, & à Syracusis, quibus auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret: totamq3 Siciliam multos annos bello vexatam, à barbarisq3 oppressam, suo aduentu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est, & id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quàm aduersam fortunam. Nam cùm frater eius Timophanes, dux

à Co-

à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsq; regni posset esse: tãtùm afuit à societate sceleris, vt antetulerit suorum ciuiũ libertatem fratris saluti: & patriæ legibus obtemperare satius duxerit, quàm imperare patriæ. Hac mente per haruspicem, communemq; affinem, cui soror ex eisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curauit. Ipse non modò manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. nam dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum eius facinus non pari modo probatum est ab omnibus. nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, & inuidia laudem virtutis obterebant. Mater verò post id factum neq; domùm ad se filium admisit, neq; aspexit, quin eum fratricidam, impiumq; detestans compellaret. Quibus verbis adeò ille est commotus, vt nonnunquam vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est: cuius aduersarij opem à Corinthiis petiuerunt: ducemque, quo in bello vterentur, postularunt. Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. cùm interficere posset, noluit: tutoque vt Corinthum peruenireț, effecit, quòd vtrorumque Dionysiorum opibus Corinthij sæpe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriam volebat,

exstare: & quòd eam præclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiæ, quàm crudelitatis: postremò vt non sólùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem, & ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. Post Dionysij decessum cum Iceta bellauit, qui aduersatus fuerat Dionysio, quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quòd ipse expulsò Dionysio imperium dimittere noluit. Hoc superato Timoleõ maximas copias Karthaginiensium apud Crimessum flumen fugauit, ac satis habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominẽ bellicosum, & potentem, qui tyrannos adiutum in Siciliàm venerat. Quibus rebus confectis cùm propter diuturnitatem belli non sólùm regiones, sed etiam vrbes desertas videret, conquisiuit, primùm, quos potuit Siculos, deinde Corintho arcessiuit colonos, quòd ab his initio Syracusæ erant conditæ. Ciuibus veteribus sua restituit, nouis bello vacuefactas possessiones diuisit. vrbium mœnia disiecta, fanaq́ deleta refecit. ciuitatibus leges, libertatemq́ reddidit: & maximo bello tantum ocium toti insulæ conciliauit, vt hic conditor vrbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam muniuerat Dionysius ad vrbem obsidendam, à fundamentis disiecit: cetera tyrannidis propugnacula demolitus est, deditq́ operam, vt quàm minimè multa vestigia seruitutis

tutis manerent. Cùm tantis esset opibus, vt etiam inuitis imperare posset, tantũ autem haberet amorem omnium Siculorum, vt nullo recusante, regnum obtineret: maluit se diligi, quàm metui. Itaq; cùm primum potuit, imperium deposuit, & priuatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. neq; verò id imperitè fecit. nam quòd ceteri reges imperio potuerunt, hic beneuolentia tenuit. Nullus honos huic defuit: neq; postea Syracusis res vlla gesta est publica, de qua prius sit decretum, quàm Timoleontis sententia cognita. Nullius vnquam consilium non modò antelatum, sed ne comparatum quidem est. neq; id magis beneuolentia factum est, quam prudentia. Hic cum ætate iam profectus esset, sine vllo morbo lumina oculorum amisit. quam calamitatem ita moderatè tulit, vt neq; eum querentem quisquam audierit, neq; eo minus priuatis, publicisq; rebus interfuerit. veniebat autem in Theatrum, cùm ibi consilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis iunctis, atq; ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat: neq; hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. nihil enim vnquam neq; insolens, neq; glorioſum, ex ore eius exiit. qui quidem, cum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quã se in ea re maximas diis gratias agere, atq; habere, quod cùm Siciliam recreare constituisset, tum se potissimùm ducem esse voluisset. nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat. Itaq; suæ domi sacellum Αὐτομάτας con-

stituerat, idq; sanctissimè colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prœlia maxima natali die suo fecit omnia: quo factum est, vt eiusdem natalem festum, haberet vniuersa Sicilia. Huic quidam Lamestius, homo petulans, & ingratus vadimonium cum vellet imponere, quòd cum illo se lege agere diceret, & complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur: Timoleon orauit omnes, ne id facerent. namq; id vt Lamestio, ceterisq; liceret, se maximos labores, summaq; adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quòd quisq; vellet, legibus experiri liceret. Idem, cùm quidam Lamestij similis, nomine Demœnetus in concione populi, de rebus gestis eius detrahere cœpisset, ac nonnulla inueheretur in Timoleonta: dixit, nunc demum se voti esse damnatum. namq; hæc à diis immortalibus semper precatum, vt talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuiuis liceret, de quo vellet, impune dicere. Hic cùm diem supremum obiisset, publicè à Syracusanis, in gymnasio, quod Timoleontium appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est.

DE REGIBVS.

HI fere fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoria digni videantur præter reges. namq; eos attingere noluimus, quòd omnium res gestæ

gesta separatim sunt relata. neq; tamen hi admodum sunt multi. Lacedominus autem Agesilaus nomine, non potestate fuit rex, sicut ceteri Spartani. Ex his verò qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt (vt nos iudicamus) Persarum Cyrus, & Darius, Hystaspis filius: quorum vterque priuatus, virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in prœlio cecidit. Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea eiusdem generis, Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir & Mnemon. Xerxi maximè est illustre, quòd maximis post hominum memoriam exercitibus, terra mariq;, bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ, pulcherrimæq; corporis formæ: quam incredibili ornauit virtute belli. namq; illo Persarum nemo fuit manu fortior. Mnemon autem iustitiæ fama floruit. nam cum matris suæ scelere amisisset vxorem, tantum indulsit dolori, vt eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine, morbo naturæ debitum reddiderunt: tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum autem genere duo multo ceteros anteceſſerunt rerum gestarum gloria, Philippus Amyntæ filius, & Alexander Magnus. horum alter Babylone morbo consumtus est. Philippus Ægis à Pausania, cum spectatum ludos iret, iuxta theatrum occisus est. Vnus Epirotes Pyrrhus, qui cũ populo Ro. bellauit. is cũ Argos oppidum oppugnaret in Peloponneſo, lapide ictus interiit.

Vnus

Vnus item Siculus Dionysius prior. nam & manu fortis, & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facile reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non auarus, nullius rei deniq; cupidus, nisi singularis, perpetuiq; imperij, ob eamq; rem crudelis. nam dum id studuit munire nullius pepercit vitæ, quem eius insidiatorem putaret. Hic cùm virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maior q; annis sexaginta natu decessit florente regno. neq; in tam multis annis cuiusquam ex sua stirpe funus vidit, cùm ex tribus vxoribus liberos procreasset, multiq; ei nati essent nepotes. Fuerunt præterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum eius imperia ceperunt. In his Antigonus, & huius filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus cùm aduersus Seleucum, Lysimachumq; dimicaret in prœlio occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus à Seleuco. nam societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. At Demetrius cùm filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neq; eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset: captus bello, in custodia socer generi perit morbo. neq; ita multo post, Seleucus à Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est: quem ille à patre expulsum Alexandria, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, cùm viuus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita priuatus dicitur. De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur non præterire

Hamil-

Hamilcarem & Hannibalem: quos & animi magnitudine, & calliditate, omnes in Africa natos præstitisse constat.

HAMILCAR.

HAMILCAR *Hannibalis filius, cognomine Barcas, Karthaginiensis primo Punico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia præesse cœpit exercitui. Cùm ante eius aduentum & mari & terra malè res gererẽtur Karthaginiensium, ipse vbi affuit, nunquam hosti cessit, neq; locum nocendi dedit: sæpeq; è contrario hostem occasione data lacessiuit, semperq; superior discessit. quo facto, cum pœnè omnia in Sicilia Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit, vt bellum eo loco gestum non videretur. Interim Karthaginienses classe apud insulas Ægates à C. Lutatio Consule Romanorum superati, statuerunt belli finem facere, eamq; rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille & si flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci seruiendum putauit. quòd patriam exhaustam sumtibus, diutius calamitatem belli ferre non posse intelligebat: sed ita, vt statim mente agitaret, si paullùm, modo res essent refectæ, bellum renouare, Romanosq; armis persequi donec aut virtute vicissent, aut victi manum dedissent. Hoc consilio pacem conciliauit: in qua tanta fuit ferocia, vt, cùm Catulus negaret se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerant, armis relictis, Sicilia de-*

cede-

cederent: succumbente patria, ipse periturum se potius dixerit, quàm cum tanto flagitio domum rediret. non enim suæ esse virtutis, arma à patria accepta aduersus hostes, aduersariis tradere. Huius pertinaciæ cessit Catulus. At ille, vt Karthaginem venit, multo aliter, ac sperabat, rempub. se habentem cognouit. namq; diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, vt numquam pari in periculo fuerit Karthago, nisi cùm deleta est. Primò mercenarij milites, qui aduersus Romanos fuerant, desciuerunt: quorum numerus erat viginti millium. hi totam abalienârunt Africam, ipsam Karthaginem oppugnârunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, vt auxilia etiam à Romanis petiuerint, eaq; impetrarint. Sed extremo, cùm propè iam ad desperationem peruenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solùm hostes à muris Karthaginis remouit, cùm amplius centum millia facta essent armatorum, sed etiam eò compulit, vt locorũ angustiis clausi, plures fame, quàm ferro, interirent. omnia oppida alienata. in his Vticam, atq; Hipponem, valentissima totius Africæ, restituit patriæ. neq; eo fuit contentus, sed etiam fines imperij propagauit, tota Africa tantum otium reddidit, vt nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atq; infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, vt imperator cum exercitu Hispaniam mitteretur, eoq; secum duxit

filium

*filium Hannibalem, annorum nouem. Erat præterea cum eo adolescens illustris, & formosus Hasdrubal, quem nonnulli diligi**** ab Hamilcare, loquebantur. non enim maledici tanto viro deesse poterant. quo factum est, vt à præfecto morũ Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quòd moribus eorum non poterat interdici socero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, quòd Hamilcare occiso ille exercitui præfuit, resq; magnas gessit: & Princeps largitione vetustos peruertit mores Karthaginiensium: eiusdemq; post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar posteaquàm mare transiit, in Hispaniamq; venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas, bellicosissimasq; gentes subegit: equis, armis, viris, pecunia, totam locupletauit Africam. Hic cùm in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno post, quàm in Hispaniam venerat, in prœlio pugnãs aduersus Vectones occisus est. Huius perpetuum odium erga Romanos maximè concitasse videtur secundum bellum Punicum. Namq; Hannibal filius eius, assiduis patris obtestationibus eò est perductus, vt interire, quàm non Romanos experiri, mallet.*

HANNIBAL.

HANNIBAL *Hamilcaris filius, Karthaginiẽsis. Si verum est, quod nemo dubitat, vt Populus Romanus*

nus omnes gentes virtute superarit, non est inficiandum, Hannibalem tanto præstitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. nam quotiescunq; cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. quòd nisi domi ciuium suorum inuidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. sed multorum obtrectatio deuicit vnius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmauit, vt prius animam, quàm id, deposuerit: qui quidem cùm patria pulsus esset, & alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare cum Romanis. nam vt omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus potentißimus rex Antiochus fuit. hunc tanta cupiditate incendit bellandi, vt vsq; à rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. ad quem cùm legati venissent Romani, qui de eius voluntate explorarent, darentq; operam consiliis clandestinis, vt Hannibalem in suspitionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum, alia, atq; antea sentire: neq; id frustra fecissent, idq; Hannibal comperisset, seq; ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adiit regem, eiq; cùm multa de fide sua, & odio in Romanos commemorasset, hoc adiunxit: pater, inquit, meus Hamilcar puerulo vtpote non amplius nouem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Karthagine Ioui optimo maximo

ximo hostias immolauit. quæ diuina res dum conficiebatur, quæsiuit à me, vellem ne secum in castra proficisci. id cùm libenter accepissem, atq; ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere: tum ille faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis. simulq; ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat: eamq;, ceteris remotis, tenentem, iurare iussit, nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandum patri datum vsque ad hanc diem ita conseruaui, vt nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. quare si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. cùm quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris. Hac igitur ætate cum patre in Hispaniam profectus est, cuius post obitum Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. hoc quoq; interfecto, exercitus summam imperij ad eum detulit. id Karthaginem delatum, publicè comprobatum est. Sic Hannibal minor quinq; & viginti annis natu, imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. Saguntum, fœderatam ciuitatem, vi expugnauit. tres exercitus maximos comparauit. Ex his vnum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, Tertium in Italiam secum duxit. saltum Pyrenæum transiit. quacunq; iter fecit, cum omnibus incolis conflixit. neminem, nisi victum, dimisit. Ad alpes posteaquàm venit, quæ Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo vnquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Græium, transie-

rat: quo facto is hodie saltus Graius appellatur: Alpicos conantes prohibere transitum concîdit, loca patefecit, itinera munijt, effecitq3, vt eà elephantus ornatus ire posset, quà antea vnus homo inermis vix poterat repere. hac copias traduxit, in Italiamq3 peruenit. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione. Consceumq3 pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit: saucium, inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio cum collega Tiberio Longo ad Trebiam aduersus eum venit. cum his manum conseruit: vtrumq3 profligauit. inde per Ligures Apenninum transit, petens Etruriam. hoc itinere adeò graui morbo afficitur oculorum, vt postea nunquam dextero æquè bene vsus sit. qua valetudine cum etiam tum premeretur, lecticaq3 ferretur, C. Flaminium Consulem apud Trasimenum cum exercitu insidijs circumuentum occidit. neque multo pòst C. Centenium, prætorem, cum delecta manu saltus occupantem. hinc in Apuliam peruenit. Ibi obuiam ei venerunt duo consules. C. Terentius Varro & L. Paullus Aemilius. Vtriusq3 exercitus vno prœlio fugauit: Paullum consulem occidit, & aliquot prætereà consulares. In his Cn. Seruilium Geminum, qui anno superiore fuerat consul. Hac pugna pugnata, Romam profectus est nullo resistente. in propinquis vrbis montibus moratus est. Cùm aliquot ibi dies castra habuisset, & reuerteretur Capuam: Quint. Fabius Maximus dictator Ro. in agro Falerno se ei obiecit. Hinc clausis locorum angustijs, noctu sine vllo detrimento exercitus se expediuit.

sit. Fabio callidissimo imperatori dedit verba. namq; obducta nocte sarmenta in cornibus iumentorum deligata incendit, eiusq; generis multitudinem magnam dispalatam immisit. quo repentino obiectu viso tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, vt egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minutium Rufum magistrum equitum, pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in prœlium fugauit. T. Sempronium Graccum iterum consulem in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prœlia. Quare hoc vnum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. Quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit. Hic inuictus patriam defensum reuocatus, bellum gessit aduersus P. Scipionis filium, quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugauerat. Cũ hoc exhaustis iam patriæ facultatibus cupiuit inpræsentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium conuenit, conditiones non conuenerunt. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit: pulsus (incredibile dictu) biduo & duabus noctibus Adrumetum peruenit: quod abest à Zama circiter millia passuum trecenta. In hac fuga Numidæ, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei: quos nõ solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumeti

reliquos ex fuga collegit. nouis delectibus paucis diebus multos contraxit. Cùm in apparando acerrimè esset occupatus, Karthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, resq; in Africa gessit: Itemq; Mago frater eius, usq; ad P. Sulpicium & C. Aurelium consules. His enim magistratibus legati Karthaginienses Romam venerunt, qui senatui, populoq; Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent, ob eamq; rem corona aurea eos donarent: simulq; peterent, vt obsides eorum Fregellis essent, captiuiq; redderentur. His ex senatusconsulto responsum est, munus eorum gratum, acceptumq; esse: obsides quo loco rogarent, futuros: captiuos non remissuros, quòd Hannibalem, cuius opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, & nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemq; fratrem eius Magonem. Hoc responso Karthaginienses cognito, Hannibalem domum, Magonemq; reuocarunt. Hic, vt rediit, prætor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo & vicesimo. Vt enim Romæ consules, sic Karthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello. namq; effecit, ex nouis vectigalibus non solùm vt esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam supereesset, quæ in ærario poneretur. Deinde anno post præturam, Marco Claudio, Lucio Furio Coss. Romani legati, Karthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, priusquàm his senatus daretur, nauem conscendit

clàm,

clàm, atq; in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta Pœni naues duas, quæ eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt. bona eius publicarunt, domum à fundamentis diiecerunt, ipsum exsulem iudicarunt. At Hannibal anno tertio, postquàm domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minutio Coss. cum quinq; nauibus Africam accessit in finibus Cyrenæorum, si forte Karthaginienses ad bellum, Antiochi spe, fiduciaq;, inducere posset: cui iam persuaserat, vt cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem exciuit. Id vbi Pœni resciuerunt, Magonem eadem, qua fratrem absentem, pœna, affecerunt. Illi desperatis rebus cùm soluissent naues, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum peruenit. de Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namq; alij naufragio, alij à seruis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parere voluisset consilijs eius, quàm in suscipiendo instituerat, propius Tyberim, quam Thermopylas, de summa imperij dimicasset. quem etsi multa stultè conari videbat, tamen nulla deseruit in re. præfuit paucis nauibus, quas ex Syria iussus erat in Asiam ducere, hisq; aduersus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. in quo cùm multitudine aduersariorum sui superarentur: ipse, quà rem gessit, fuit superior. Antiocho fugato, verens, ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, vt ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium cal-

lidißimus, magno se fore in periculo, nisi quid præuidisset, propter auaritiam Cretensium. magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaq; capit tale consilium. amphoras complures complet plumbo: summas operit auro & argento. has Gortynijs præsentibus deponit in templo Dyanæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis statuas aneas, quas secum portabat, omnes sua pecunia complet, easq; in propatulo domi abijcit. Gortynij templum magna cura custodiunt, non tam à ceteris, quam ab Hannibale, ne ille, insscientibus illis, tolleret, secumq; portaret. Sic conseruatus suis rebus, Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum peruenit: apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neq; aliud quicquam egit, quam Regem armauit, & excitauit aduersus Romanos. Quem cùm videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adiungebatq; bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellumq; inter eos gerebatur & mari & terra: quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. sed vtrobiq; Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem: quem si remouisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. ad hunc interficiendum talem inijt rationem. Classe paucis diebus erant decertaturi. superabatur nauium multitudine. dolo erat pugnandum, cùm par non esset armis, imperauit quam plurimas venenatas serpentes viuas colligi, easq; in vasa fictilia conijci. Harum cùm confecisset magnam multitudinem,

dinem, die ipso, quo facturus erat nauale prœlium, classiarios conuocat, hisq; præcepit, omnes vt in vnam Eumenis regis concurrãt nauem, à ceteris tantum satis habeant se defendere. id facilè illos serpentium multitudine consecuturos. Rex autem qua naue veheretur vt scirent, se facturum: quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatione militum facta, classis ab vtrisq; in prœlium deducitur. quarum acie constituta priusquam signum pugnæ daretur, Hannibal, vt palàm faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit: qui vbi ad naues aduersariorum peruenit, epistolam ostendens, se regem professus est quærere. Statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius ducis naue declarata suis, eodem vnde ierat, se recepit. At Eumenes soluta epistola nihil in ea reperit, nisi quod ad irridendum eum pertineret. cuius & si causam mirabatur, neq; reperiebatur, tamen prœlium statim committere non dubitauit. Horum in concursu Bithyni Hannibalis præcepto vniuersi nauem Eumenis adoriuntur: quorum vim cùm rex sustinere non posset, fuga salutem petijt: quam consequutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset: quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Pergamenæ naues cùm aduersarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus suprà mentionem fecimus, conijci cœpta sunt: quæ iacta initio risum pugnantibus excitarunt, neq; quare id fieret, poterat intelligi. postquàm

autem naues completas conſpexerunt ſerpentibus, noua re perterriti, cùm, quid potiſſimum vitarent, non viderent, puppes auerterunt, ſeq; ad ſua caſtra nautica retulerunt. Sic Hannibal conſilio arma Pergamenorum ſuperauit, neq; tum ſolùm, ſed ſæpè aliàs pedeſtribus copijs pari prudentia pepulit aduerſarios. quæ dum in Aſia geruntur, accidit caſu, vt legati Pruſiæ Romæ apud L. Quintium Flaminium conſulem cenarent, atq; ibi de Hannibale mentione facta, ex his vnus diceret, eum in Pruſiæ regno eſſe. Id poſtero die Flaminius ſenatui detulit. Patres conſcripti, qui Hannibale viuo nunquam ſe ſine inſidijs futuros exiſtimabant, legatos in Bithyniam miſerunt, in his Flaminium, qui à rege peterent, ne inimiciſſimum ſuum ſecum haberet, ſibiq; dederet. His Pruſias negare auſus non eſt. illud recuſauit, ne id à ſe fieri poſtularent, quòd aduerſus ius hoſpitij eſſet: ipſi, ſi poſſent, comprehenderent: locum, vbi eſſet, facilè inuenturos. Hannibal enim vno loco ſe tenebat in caſtello, quòd ei ab rege datum erat muneri: idq; ſic ædificarat, vt in omnibus partibus ædificij exitus haberet, ſemper verens, ne vſu eueniret, quod accidit. Huc cùm legati Romanorum veniſſent, ac multitudine domum eius circumdediſſent, puer ab ianua proſpiciens Hannibali dixit, plures præter conſuetudinem armatos apparere. qui imperauit ei, vt omnes fores ædificij circumiret, ac propere ſibi renunciaret, num eodem modo vndiq; obſideretur. Puer cum celeriter, quid eſſet, renunciaſſet, omneſq; exitus occupatos oſtendiſſet: ſenſit id non fortuitò factum,

ctum, sed se peti, neq; sibi diutius vitam esse retinendam: quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueuerat, sumsit. Sic vir fortissimus, multis varijsq; perfunctus laboribus, anno acquieuit septuagesimo. Quibus consulibus interierit, non conuenit. namq; Atticus M. Claudio, Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. mortuum in annali suo scriptum reliquit. At Polybius L. Aemilio Paulo, & Cn. Bæbio Tamphilo. Sulpicius autem P. Cornelio Cethego, & L. M. Bæbio Tamphilo. Atq; hic tantus vir, tantisq; bellis districtus, non nihil temporis tribuit litteris. namq; aliquot eius libri sunt, Græco sermone confecti: in his ad Rhodios de Cn. Manlij Vulsonis in Asia rebus gestis. Huius bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, simulq; vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Philænius & Sosilus Lacedæmonius. atq; hoc Sosilo, Hannibal litterarum Græcarum vsus est doctore. Sed nunc tempus est huius libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis vtrorumq; factis, qui viri præferendi sint, possit iudicari.

M. PORTIVS CATO, EX LIBRO SECVNDO ÆMILII PROBI, seu Cornelij Nepotis.

CATO ortus municipio Tusculo, adolescentulus priùs quàm honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quòd ibi hereditumà

um à patre relictum habebat. Hortatu L. Valerij Flacci, quem in consulatu, censuraq; habuit collegam, vt M. Perperna Censorinus narrare solitus est, Romam demigrauit: in foro, esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem, septemq;. Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. tribunus militum in Sicilia fuit. Inde vt rediit, castra secutus est C. Claudij Neronis: magniq; eius opera æstimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli: cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namq; ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis pl. factus est cum C. Heluio. Prætor prouinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris æstimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte prouinciam nactus Hispaniam citeriorem, exq; ea triumphum deportauit. Ibi cùm diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priore consulatu quæstor fuerat, voluit eum de prouincia depellere, & ipse ei succedere: neq; hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio in ciuitate principatum obtineret, quòd tum non potentia, sed iure resp. administrabatur. Qua ex re iratus, senatu peracto, priuatus in vrbe mansit. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, seuerè præfuit ei potestati. Nam & in complures nobiles animaduertit, & multas res nouas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur, quæ iam

tum

tum incipiebat pullulare. Circiter annos octoginta vsq; ad extremam ætatem, ab adolescentia, reip. causa suscipere inimicitias non destitit: à multis tentatus, non modò nullum detrimentum æstimationis fecit, sed quoad vixit, virtutum laude creuit. In omnibus rebus singulari fuit prudentia & industria. Nam & agricola sollers, & reip. peritus, iurisconsultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium & si senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, vt non facilè reperire possis, neq; de Græcis, neq; de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas rerum populi Rom. Secundus, & tertius, vnde quæq; ciuitas orta sit Italica. Ob quam rem omnes, Origenes videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum: In quinto secundum. Atq; hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaq; bella pari modo persecutus est, vsq; ad prætoram Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atq; horum bellorum duces non nominauit, sed sine nominibus res notauit. In ijsdem expositi quæ in Italia Hispanijsq; viderentur admiranda. In quibus multa industria & diligentia compâret, multa doctrina. Huius de vita & moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu Titi Pomponij Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

VITA

VITA T. POMPONII ATTICI, EX CORNELIO NEPOTE.

POMPONIVS *Atticus, ab origine vltima stirpis Romanæ generatus, perpetuò à maioribus acceptam, equestrem obtinuit dignitatem. Patre vsus est diligente, indulgente, &, vt tum erant tempora, diti, in primisq; studioso litterarum. hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudiuit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenij, summa suauitas oris ac vocis, vt non solùm celeriter acciperet quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re, in pueritia, nobilis inter æquales ferebatur, clariusq; exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaq; incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius, C. filius, M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi deuinxit, vt nemo ijs perpetuò fuerit carior. Pater maturè decessit. ipse adolescentulus, propter affinitatem P. Sulpicij, qui tribu. pleb. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namq; Anicia, Pomponij consobrina, nupserat Seruio Sulpicio, fratri P. Sulpicij. Itaq; interfecto P. Sulpicio, posteaquàm vidit, Cinnano tumultu ciuitatem esse perturbatam, neq; sibi dari facultatem pro dignitate viuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuium, cùm alij Syllanis, alij*

Univ. Bibl. München

alij Cinnanis fauerent partibus: idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se contulit: neq; eo secius adolescentem Marium hostem iudicatum, iuuit opibus suis: cuius fugam pecunia subleuauit. Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. Hîc ita vixit, vt vniuersis Athenienſibus meritò esset carissimus. Nam, præter gratiam, quæ iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam leuauit. Quum enim versuram facere publicè necesse esset, neq; eius conditionem æquam haberent: semper se interposuit, atq; ita, vt neq; vsuram vnquam ab ijs acceperit, neq; longius quàm dictum esset, eos debere passus sit. Quod vtrumq; erat ijs salutare. nam neque indulgendo inueteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neq; multiplicandis vsuris crescere. Auxit hoc officium alia quoq; liberalitate. Nam vniuersos frumento donauit, ita vt singulis sex modij tritici darentur, qui modus mensuræ, medimnus Athenis appellatur. Hîc autem sic se gerebat, vt communis infimis, par principibus videretur. quo factum est, vt huic omnes honores, quos possent, publicè haberent, ciuemq; facere studerent: quo beneficio ille vti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam alia ascita. Quandiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaq; aliquot ipsi, & Pilia locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione Reipub. actorem, auctoremq; habebant. Igitur primum

illud

illud munus fortunæ, quòd in ea potissimùm vrbe natus est, in qua domicilium, orbis terrarum esset imperij, vt eandem & patriam haberet, & dominam. Hoc specimen prudentiæ, quòd cùm in eam ciuitatem se cõtulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrina præstaret omnes, ei vnus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sylla decedens, cùm venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate, & doctrina. Sic enim Græcè loquebatur, vt Athenis natus videretur. Tanta autem suauitas erat sermonis latini, vt appareret, in eo natiuum quendam lepôrem esse, non ascitum. Idem poëmata pronunciabat & græcè & latinè, sic vt supra nihil posset. Quibus rebus factum est, vt Sylla nusquam ab se dimitteret, cuperetq; secum deducere. cui cùm persuadere tentaret, noli, oro te, (inquit Pomponius) aduersum eos me velle ducere, cum quibus ne cõtra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sylla adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. Hîc complures annos moratus, cùm & rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamiliâs, & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Athenienſium reip. tribueret, nihilominus amicis vrbana officia præstitit. Nam & ad comitia eorum ventitauit, & si qua res maior acta est, non defuit: sicut Ciceroni in omnibus eius periculis singularem fidem præbuit: cui ex patria fugienti L L S. ducenta & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigrauit Romam, vt opinor L. Cotta, &

Tor-

L. Torquato Coſſ. quem diem ſic vniuerſa ciuitas Athenienſium proſecuta eſt, vt lachrymis deſiderij futuri dolorem indicaret. Habebat auunculũ Qu. Cæcilium, equitem Ro. familiarẽ L. Luculli, diuitem, difficillima natura cuius ſic aſperitatem veritus eſt, vt, quem nemo ferre poſſet, huius ſine offenſione ad ſummam ſenectutẽ retinuerit beneuolentiam. quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens, teſtamẽto adoptauit eum, heredemq; fecit ex dodrante, ex qua hereditate accepit circiter centies L L S. Erat nupta ſoror Attici Qu. Tullio Ciceroni: eaſq; nuptias M. Cicero conciliarat. cum quo à condiſcipulatu viuebat coniunctiſsimè, multo etiam familiarius, quàm cum Q. vt iudicari poſsit plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem. Vtebatur autem intimè Q. Hortenſio, qui ijs temporibus principatum eloquentiæ tenebat, vt intelligi non poſſet, vter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius. &, id, quod erat difficillimum, efficiebat, vt inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetq; talium virorum copula. in repub. ita verſatus eſt, vt ſemper optimarum partium & eſſet, & exiſtimaretur. Neq; tamen ſe ciuilibus fluctibus committeret, quòd non magis eos in ſua poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe ijs dediſſent, quàm qui maritimis iactarentur. Honores non petijt, cum ei paterent, propter vel gratiam, vel dignitatem: quòd neq; peti more maiorum, neq; capi poſſent conſeruatis legibus, in tam effuſis ambitus largitionibus, neq; è repub. ſine periculo, corruptis ciuitatis moribus. Ad haſtam

ſtam publicam nunquam acceſsit. Nullius rei neq; præs, neq; manceps factus eſt. Neminem neq; ſuo nomine, neque ſubſcribens, accuſauit. In ius de ſua re nunquam iuit: iudicium nullum habuit. Multorum conſulum, prætorumq; præfecturas delatas, ſic accepit, vt neminem in prouinciam ſit ſecutus: honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum. qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Aſiam, cùm apud eum legati locum obtinere poſſet. Non enim decere ſe arbitrabatur, cùm præturam gerere noluiſſet, aſſeclam eſſe prætoris. qua in re non ſolùm dignitati ſeruiebat, ſed etiam trãquillitati, cùm ſuſpitiones quoq; vitaret criminum. quo fiebat, vt eius obſeruantia omnibus eſſet carior, cùm eam officio, non timori, neq; ſpei tribui viderent. Incidit Cæſarianum ciuile bellum, cùm haberet annos circiter ſexaginta. Vſus eſt ætatis vacatione, neq; ſe quoquam mouit ex vrbe. Quæ amicis ſuis opus fuerant ad Pompeium proficiſcentibus, omnia ex ſua re familiari dedit. Ipſum Pompeium coniunctum non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamẽtum, vt ceteri, qui per eũ aut honores, aut diuitias ceperant: quorũ partim inuitiſſimi caſtra ſunt ſecuti, partim ſumma cum eius offenſione, domi remanſerunt. Attici autem quies, tantopere Cæſari fuit grata, vt victor cùm priuatis pecunias per epiſtolas imperaret, huic non ſolum moleſtus non fuerit, ſed etiam ſororis, & Q. Ciceronis filium ex Pompeij caſtris conceſſerit. Sic vetere inſtituto vitæ, effugit noua pericula. Secutum eſt illud, occiſo Cæſare, quum reſpub. penes

Brutos

Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota ciuitas se ad eum conuertisse videretur. Sic M. Bruto vsus est, vt nullo ille adolescens æquali familiarius, quàm hoc sene: neq; solùm eum principem consilij haberet, sed etiam in conuictu. Excogitatum est à quibusdam, vt priuatum ærarium, Cæsaris interfectoribus ab equitibus Ro. constitueretur. Id facilè effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaq; appellatus est à C. Flauio Bruti familiari Atticus, vt eius rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperq; à talibus se consilijs remouisset, respondit, si quid Brutus de suis facultatibus vti voluisset, vsurum quantum ea paterentur: sed neq; eum quoquam de ea re collocuturum, neq; coiturum. sic ille consensionis globus, huius vnius dissensione, dissectus est: neq; multo pòst superior esse cœpit Antonius, ita vt Brutus & Cassius prouinciarum, quæ ijs dicis causa datæ erant à consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto, Italiaq; cedenti L L S. centum millia munera misit. eidem in Epiro absens, trecenta iussit dari: neq; eo magis potenti adulatus est Antonio, neq; desperatos reliquit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantùm eum prudentem dicam: minus, quàm debeam, prædicem, cùm ille potius diuinus fuerit, si diuinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus neq; agitur, neq; minuitur. Hostis Antonius iudicatus Italiæ

ceſſerat: ſpes reſtituendi nulla erat. non ſolùm eius inimici, qui tum erant potentiſſimi, & plurimi, ſed etiam, amici, aduerſarijs eius ſe dabant, & in eo lædendo ſe aliquam conſecuturos ſperabant commoditatem: eius familiares inſequebantur, vxorem Fuluiam omnibus rebus ſpoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus cùm Ciceronis intima familiaritate vteretur, amiciſſimus eſſet Bruto: non modò nihil ijs indulſit ad Antonium violandum, ſed è contrario familiares eius ex vrbe profugientes, quantum potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adiuuit. P. verò Volumnio ea tribuit, vt plura à parente proficiſci non potuerint. Ipſi autem Fuluiæ, cùm litibus deſtinaretur, magniſq; terroribus vexaretur, tanta diligentia officium ſuum præſtitit, vt nullū illa præſtiterit vadimoniū ſine Attico, hic ſponſor omnium rerum fuerit. Quin etiam, cùm illa fundum ſecunda fortuna emiſſet in diem, neq; poſt calamitatem verſuram facere potuiſſet: ille ſe interpoſuit, pecuniamq; ſine fœnore, ſineq; vlla ſtipulatione ei credidit, maximū exiſtimans quæſtum, memorem, gratumq; cognoſci: ſimulq; aperire, ſe nō fortunæ, ſed hominibus ſolere eſſe amicum. quæ cùm faciebat, nemo eum temporis cauſa facere poterat exiſtimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed ſenſim is à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odiſſe malos ciues videretur. Ille autem ſui iudicij, potius quid ſe facere par eſſet, intuebatur, quam quid alij laudaturi forent. Conuerſa ſubitò fortuna eſt. Vt Antonius rediit in Ita-

in Italiam, nemo non magno in periculo Atticam futurum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. Itaq; ad aduentum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebatq; apud P. Volumnium, cui, vt ostendimus paulo antè, opem tulerat (Tanta varietas ijs temporibus fuit fortunæ, vt modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebatq; secum Q. Gellium Canium, æqualem, simillimumq; sui. Hoc quoq; sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognouerat, adeo cõiunctè vixit, vt ad extremam ætatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem & si tanto odio ferebatur in Ciceronem, vt non solùm ei, sed omnibus etiam eius amicis esset inimicus, eosq; vellet proscribere: multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officij, & ei, cùm requisisset vbi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimq; ad se veniret. se eum, & Gellium Caniũ de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne quod periculum incideret, quòd noctu fiebat: præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit. Neq; enim suæ solùm à quoquam auxilium petijt salutis, sed coniunctim: vt appareret nullam seiunctam sibi ab eo velle esse fortunam. Quòd si gubernator præcipua laude fertur, qui nauem ex hieme, mariq; scopuloso seruat, cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot, tamq; grauibus procellis ciuilibus, ad incolumitatem peruenit? Quibus ex malis vt se emersit, nihil

aliud egit, quàm vt plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Cùm proscriptos prœmijs imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res vlla defuerit. nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est. Quin etiam post prœlium Philippense, interitumq; C. Cassij, & M. Bruti, L. Iulium Mocillam pratorem, & eius filium, Aulumq; Torquatum, ceteros q; pari fortuna perculsos, instituit tueri: atq; ex Epiro his omnia Samotraciam supportari iusserit. Difficile enim est omnia persequi, & non necessaria. Illud vnum intelligi volumus, illius liberalitatem, neq; temporariam, neq; callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus iudicari potest, quòd non florentibus se venditauit, sed afflictis semper succurrit. qui quidem Seruiliam, Bruti matrem, non minus post mortem eius, quàm florente, coluerit. Sic liberalitate vtens, nullas inimicitias gessit, quòd neq; lædebat quemquam, neq; si quam iniuriam acceperat, non malebat vlcisci, quàm obliuisci. Idem immortali memoria recepta retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaq; hic fecit, vt verè dictum videatur, SVI CVIQVE MORES FINGVNT FORTVNAM. *Neq; tamen prius ille fortunæ, quàm se ipse, finxit: qui cauit ne qua in re iure plecteretur. His igitur rebus effecit, vt M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate coniunctus adolescenti Cæsari, cùm propter suam gratiã, & Cæsaris potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimùm eius diligeret affinitatem, præoptaretq; equitis*

Ro-

Romani filiam generosam nuptijs. atq; harũ nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius triumuir reip. constituendæ: cuius gratia cùm augere possessiones posset suas, tantum afuit à cupiditate pecuniæ, vt nulla in re vsus sit ea, nisi in deprecandis amicorũ aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsam proscriptionem per illustre fuit. Nam cùm L. Saufeij equitis Ro. æqualis sui, qui cõplureis annos studio ductus Philosophiæ, Athenis habitabat, habebatq; in Italia præciosas possessiones, triumuiri bona vẽdidissent, consuetudine ea, qua tũ res gerebantur: Attici labore, atq; industria factũ est, vt eodẽ nuncio Saufeius fieret certior se patrimonium amisisse, & recuperasse. Idem L. Iuliũ Calidium, quem post Lucretij, Catulliq; mortem, multo elegantissimum poëtam nostrã tulisse ætatẽ verè videor posse contendere, neq; minus virũ bonum, optimisq; artibus eruditũ, post proscriptionem equitum, propter magnas eius Africanas possessiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto fabrûm Antonij, absentem relatum, expediuit. Quod in præsenti vtrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare, quòd in eorum periculis, non secus absentes, quàm præsentes amicos Attico esse curæ cognitum est. Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quàm ciuis. Nam cùm esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax: minus ædificator. Neque tamen non imprimis bene habitauit, omnibusq; optimis rebus vsus est. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab auunculo hereditate relictam: cuius

æmœnitas non ædificio, sed silua constabat. ipsum enim tectum antiquitus constitutum, plus salis, quàm sumtus habebat: in quo nihil commutauit, nisi si quid vetustate coactus est. Vsus est familia, si vtilitate iudicandum est, optima: si forma, vix mediocri. namq; in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij, vt ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non vtrunq; horum pulchrè facere posset. pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. neq; tamen horum quemquam, nisi domi natum, domiq; factum habuit: quod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere quod à plurimis videas, continentis debet duci: & potius diligentia, quàm pretio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumtuosus; omni diligentia munditiem non affluentem affectabat. suppellex modica, non multa, vt in neutram partem conspici posset. Nec hoc præteribo, quamquam nonnullis leue visum iri putem. cùm imprimis lautus esset eques Ro. & non parum liberaliter domũ suam omnium ordinum homines inuitaret, scimus non amplius, quàm terna millia æris, peraq; in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum. Atq; hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quàm anagnosten: quod nos quidem iucundissimum arbitramur. Neq; vnquam sine aliqua lectione apud eum cena-

tenatum est: vt non minus animo, quàm ventre conuiuia delectarentur. Namq; eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de vitæ consuetudine. tantaq; vsus est moderatione, vt neq; in sestertio vicies, quod à patre acceperat, parum se splendidè gesserit: neq; in sestertio centies, affluentius vixerit, quàm instituerat, pariq; fastigio steterit in vtraq; fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neq; in Italia, præter Ardeatinum & Nomentanum, rusticum prædium: omnisq; eius pecuniæ redditus constabat in Epiroticis, & vrbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum vsum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neq; dicebat, neq; pati poterat. Itaq; eius comitas, non sine seueritate erat, neq; grauitas sine facilitate: vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, quàm amarent. Quicquid rogabatur, religiosè promittebat, quòd non liberalis, sed leuis arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, vt non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negocij eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius, quo fiebat, vt omnia, M. & Q. Ciceronum, Catonis, Hortēsij, Auli Torquati, multorum præterea equitum. Rom. negocia procuraret. Ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio, fugisse reipub. procurationem. Humanitatis

verò nullum afferre maius testimonium possum, quàm quòd adolescens idem seni Sullæ fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum æqualibus autem suis, Qu. Hortensio, & M. Cicerone sic vixerit, vt iudicari difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. quamquam eum præcipuè dilexit Cicero, vt ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus iam sunt editi, sexdecim volumina Epistolarum, ab consulatu eius vsq; ad extremum tempus, ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studijs principum, vitijs ducum, mutationibus reip. perscripta sunt, vt nihil in ijs non appareat: & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse diuinationem. Non enim Cicero ea solùm, quæ viuo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc vsu veniunt, cecinit, vt vates. De pietate autem Attici quid plura commemorem, cùm hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cùm esset septem & sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam redijsse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope, æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam vnquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, vt, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. neq; id fecit natura solùm, quanquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. nam & principum philosophorum ita percepta habuit præcepta,

præcepta, vt ijs ad vitam agendam, non ad ostentationem vteretur. Moris etiam maiorum summus imitator fuit, antiquitatisq; amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornauit. Nulla enim lex, neq; pax, neq; bellum, neq; res illustris est populi Rom. quæ non in eo suo tempore sit notata: &, quòd difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in alijs libris, vt M. Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatem, ordine enumerauerit, notans qui, à quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset: pari modo Marcelli Claudij de Marcellorum: Scipionis Cornelij, & Fabij maximi, de Corneliorum, & Fabiorum, & Aemiliorum quoq;: quibus libris nihil potest esse dulcius ijs, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoq; poëticen, credimus, ne eius expers esset suauitatis. Namq; versibus qui honore, rerumq; gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita: vt sub singulorum imaginibus facta, Magistratusq; eorum non amplius quaternis, quinisq; versibus descripserit. quod vix credendum sit, tantas res, tam breuiter potuisse declarari. Est etiam liber Græcè confectus, de consulatu Ciceronis. Hactenus Attico viuo edita hæc à nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur: &, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut suprà significauimus.

uimus. SVOS CVIQVE MORES PLERVMQVE CONCILIARE FORTVNAM. Namq; hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem peruenit imperatoris diui Iulij filij, cùm iam antè familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re, quàm elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes ciuitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, vt nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit & conciliarit, quod ciuis Romanus quiuit consequi. Nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar vix anniculam, Tiberio Claudio Neroni Drusilla nato, priuigno suo, despondit. quæ coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatē reddidit frequentiorem, quā uis ante hæc sponsalia non solùm, cùm ab vrbe abesset, nunquā ad suorum quemquā litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, in primis, quid legeret, quibusq; in locis, & quamdiu esset moraturus: sed etiam cùm esset in vrbe, & propter suas infinitas occupationes, minus sæpe, quàm vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temere intercesserit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret: modò aliquam ei quæstionem poëticam proponeret, interdum iocans eius verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, cùm ædes Iouis Feretrij, in Capitolio ab Romulo cōstituta, vetustate, atq; iniuria detecta, prolaberetur, vt Attici admonitu, Cæsar eam reficiendam curaret. Neq; verò ab M. Antonio minus absens litteris colebatur: adeò, vt accuratè

ille

ille exul eum his terris quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere vsum, beneuolentiamq3, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantum fuit incidere necesse, inter Cæsarē, atq3 Antonium, cùm se vterq3 principem non solum vrbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modò cùm VII. & LXX. annos compleſſet, utq3 ad extremam senectutem nō minus dignitate, quàm gratia, fortunaq3 creuisset (multas enim hereditates nulla alia re, quàm bonitate est consecutus) tantaq3 prosperitate vsus est valetudinis, vt annos triginta medicina non indiguisset: Nactus est morbum, quem initiò & ipse, & medici contemserunt. nam putarunt esse tenesmon: cui remedia celeria, faciliaq3 proponebantur. In hoc cùm tres menses sine vllis doloribus, præterquàm quos ex curatione capiebat, consumsisset: subitò tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit, vt extremo tempore, per lumbos fistula putris eruperit. Atq3 hoc prius, quàm ei accideret, postquàm indies dolores accrescere, febresq3 accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi iussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumq3 Peducæum. hos vt venisse vidit: in cubitum nixus, quantam, inquit, curam, diligentiamq3 in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, vt spero, satisfeci, nihilq3 reliqui feci, quod ad sanandum

dum me pertineret, reliquum est, vt egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. namq; his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, vt auxerim dolores sine spe salutis. Quare à vobis peto primùm, vt consilium probetis meum: deinde ne frustrà dehortando conemini. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atq; vultus, vt non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, cùm quidem Agrippa eum flens, atq; osculans, oraret atq; obsecraret, ne id, quod natura cogeret, ipse quoq; sibi acceleraret: & quoniam tum quoq; posset temporibus superesse, se sibi, suisq; reseruaret: preces eius taciturna sua obstinatione compressit. Sic cùm biduum cibo se abstinuisset, subitò febris decessit, leuiorq; morbus esse cœpit. tamen propositum nihilo secius peregit. Itaq; die quinto, postquàm id consilium inierat, pridie Kal. Aprilis, Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit. Elatus est in lecticula, vt ipse præscripserat, sine vlla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est iuxta viam Appiam, ad quintum lapidem in monumento Qu. Cæcilij, auunculi sui.

FINIS.

C. PLI-

C. PLINII SECVNDI NOVOCOMENSIS

LIBER,

DE VIRIS IN RE MILITARI ET ADMINISTRANDA REPVBLICA ILLVSTRIBVS.

DE PROCA REGE ALBANORVM.

PROCA Rex Albanorum Amulium & Numitorem filios habuit, quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit, & vt alternis imperarent: sed Amulius fratri imperium non dedit. Et vt eum sobole priuaret, Rheam Siluiam filiam eius Vestæ sacerdotem præfecit, vt virginitate perpetua teneretur: quæ à Marte compressa, Romulum & Remum edidit. Amulius ipsam in vincula compegit. Paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eosq; vberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor collectos Accæ Larentiæ coniugi educandos dedit. Qui postea Amulio interfecto Numitori auo regnum restituerunt. Ipsi pastoribus coadunatis, ciuitatem condiderunt, quam Romulus augurio victor, quod ipse XII. Remus VI. vultures viderat, Romam vocauit: & vt eam prius legibus, quàm mœnibus muniret, edixit, ne quis vallum transiliret: quod Remus irridens, transiliuit, & à Fabio Celere centurione rastro fertur occisus.

DE

DE ROMVLO ROMANORVM REGE PRIMO.

ROMVLVS *asylum conuenis patefecit, & magno exercitu facto, quum videret coniugia deesse, per legatos à finitimis ciuitatibus petijt: quibus negatis, ludos Consualia simulauit, ad quos cum vtriusq; sexus multitudo veniisset, dato suis signo, virgines raptæ sunt, ex quibus quum vna pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Thalassio eam duci responsum. Quæ nuptiæ quia feliciter cesserunt, institutum est, vt omnibus nuptijs Thalassij nomen inuocaretur. Quum fœminas finitimorum Romani vi rapuissent, primi Cenienses contra eos bellum sumpserunt. Aduersum quos Romulus processit, & exercitum eorum, ac ducem Acronem singulari prœlio deuicit. Spolia opima Ioui Feretrio in capitolio consecrauit. Sabini ob raptas bellum aduersus Romanos sumpserunt, & quum Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti, quæ aquæ causa sacrorum gratia hauriendæ descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in capitolium produxisset. Illa petijt, quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos, & armillas, quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, vbi T. Tatius scutis eam obrui præcepit. Nam & ea in leuis habuerant. Romulus aduersus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat, processit, ac in eo loco, vbi nunc Rom. forum est, pugnam conseruit: ibi Hostius Hostilius*

lius fortißime dimicans cecidit, cuius interitu conſternati Romani fugere ceperunt. Tunc raptæ in medium proceſſerunt, & hinc patres inde coniuges deprecatæ, pacem conciliarunt. Romulus fœdus percußit, & Sabinos in vrbem recepit, populum à Curibus oppido Sabinorum Quirites vocauit. Centum Senatores ab ætate patres appellauit, Treis equitum centurias inſtituit, quas ſuo nomine Ramnenſes, à Tito Tatio Tatienſes, à Lucumone Luceres appellauit. Plebem in triginta curias diſtribuit, eaſq; raptarum nomine appellauit. Quum apud Capreæ paludem exercitum luſtraret, nunquam comparuit. Vnde inter patres, & populum ſeditione orta, Iulius Proculus vir nobilis in concionem proceſſit, & iureiurando firmauit, Romulum à ſe in colle Quirinali viſum auguſtiore forma, quum ad deos abiret: eundemq; præcipere, vt ſeditionibus abſtinerent, virtutem colerent; futurum, vt omnium gentium domini exiſterent. Huius autoritati creditum eſt, ædes in colle Quirinali Romulo conſtituta, ipſe pro deo cultus, & Quirinus eſt appellatus.

DE NVMA POMPILIO, ROMANORVM REGE SECVNDO.

POST *conſecrationem Romuli, quum diu interregno ſeditiones orirentur, Numa Pompilius Pomponij filius, Curibus oppido Sabinorum accitus, quum adducē-tibus ciuibus Romam veniſſet, vt populum ferum religione molliret, ſacra plurima inſtituit; ædem Veſtæ fecit; virgi-*

virgines Vestales legit; Flamines treis, Dialem, Martialem, Quirinalem. Salios Martis sacerdotes, quorum primus præsul vocatur, XII. instituit. Pontificem Maxi. creauit. Portas Iano gemino ædificauit. Annum in XII. menseis distribuit, additis Ianuario, & Februario. Leges quoq; plurimas & vtiles, & omnia iussu Egeriæ nymphæ, vxoris suæ se facere simulans. Ob hanc tantam iustitiam, bellum ei nemo intulit. Morbo solutus in Ianiculo sepultus est, vbi post multos annos arcula cum libris à Terentio quodam exarata: qui libri, quia leuem quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.

DE TVLLO HOSTILIO ROMANORVM REGE TERTIO.

TVLLVS Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certamine finiuit. Albam propter perfidiam ducis Metij Suffecij diruit; Albanos Romam transire iussit. Curiam Hostiliam constituit; montem Cœlium vrbi addidit. Et dum Numam Pompilium sacrificijs imitatur, Ioui Elicio litare non potuit; fulmine ictus cum regia conflagrauit. Quum inter Romanos, & Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio & Suffecio, placuit rem paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatij, tres apud Albanos Curiatij, quibus fœdere icto concurrentibus, statim duo Romanorum ceciderunt. tres Albanorum vulnerati.

vnus Horatius quamuis integer, quia tribus impar erat, fugam simulauit, & singulos per interualla, vt vulnerum erat dolor, interfecit. Et quum spolijs onustus rediret, sororem obuiam habuit: quæ viso paludamento sponsi sui, qui vnus ex Curiatijs erat, flere cœpit: frater eam occidit, qui apud duumuiros condemnatus, ad populum prouocauit, vbi patris lachrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub Tigillum missus, quod nunc quoq; viæ suppositum Sororium appellatur. Metius Suffecius dux Albanorum, quum se inuidiosum apud ciueis videret, quod bellum solo trigeminorum certamine finisset, vt rem corrigeret, Veientes, & Fidenates aduersum Romanos incitauit. Ipse à Tullo in auxilium accersitus, aciem in collem subduxit, vt fortunam belli experiretur, ac sequeretur. Quare Tullus intellecta, magna voce ait, illud suo iussu Metium facere. Quare hostes territi, victiq; sunt. Postera die Metius quum ad gratulandum Tullo venisset, iussu ipsius quadrigis religatus, ac in diuersa distractus est.

DE ANCO MARTIO, ROMANORVM REGE QVARTO.

ANCVS Martius Numæ Pompilij ex filia nepos, equitate & religione auo similis, Latinos bello domuit. Auentinum, & Ianiculum monteis vrbi addidit. Noua mœnia oppido circumdedit; siluas ad vsum nauium publicauit. Salinarum vectigal instituit. Carcerem primus edificauit. Hostiam, Coloniam maritimis commeatibus

bus opportunam in ostia Tyberis deduxit. Ius fœciale, quo legati ad res repetendas vterentur, ab Equicolis transtulit, quod primus fertur Hesus excogitasse. his rebus intra paucos dies confectis, immatura morte præreptus, non potuit præstare, qualem promiserat Regem.

DE LVCIO TARQVINIO PRISCO, ROMANORVM REGE QVINTO.

LVCIVS *Tarquinius Priscus Lucumo, Græci Demarathi filius, qui Cypseli Corinthij tyrannidem fugiens, in Hetruriam commigrauit. Ipse Lucumo dictus, vrbe Tarquinijs profugus, Romam petijt. Aduenienti aquila pileum sustulit, & quum alte subuolasset, reposuit. Tanaquil coniunx, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia & industria dignitatem, atq; etiam Anci regis familiaritatem consecutus, à quo tutor liberis relictus, regnum intercepit: & ita administrauit, quasi iure adeptus fuisset. Centum patres in curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicauit, nomina mutare nō potuit: Accij Nauij auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis suæ nouacula, & cote firmauit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificauit, ludos magnos instituit. De Sabinis, & priscis latinis triumphauit: murum lapideum vrbi circumdedit. Filium XIII. annorum, quod in prœlio hostem percussisset, præ-*

texta, & bulla donauit, vnde hæc ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt. Pòst ab Anci liberis, immissis percussoribus per dolum regno exutus est, & interfectus.

DE SERVIO TVLLIO, REGE SEXTO.

SERVIVS Tullius P. Corniculani, & Ocretiæ captiuæ filius, quum in domo Tarquinij Prisci educaretur, flammæ species caput eius amplexa est. Hoc viso, Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. Coniugi suasit, vt ita eum, vt liberos suos educaret. Qui quum adoleuisset, gener à Tarquinio adsumptus est. Et quum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore loco ad populum despiciens, ait: Priscum Tarquinium graui quidem, sed non lethali vulnere accepto, petere, vt interim, dum conualescit, Seruio Tullio audientes essent. Seruius Tullius quasi precario regnare cœpit, sed recte imperium administrauit. Hetruscos sæpe domuit; collem Quirinalem, & Viminalem, & Esquilias vrbi addidit. Aggerem, fossasq; fecit. Populum in quatuor tribus distribuit, ac pòst plebi distribuit annonam: mensuras, pondera, classeis centuriasq; constituit. Latinorum populis persuasit, vti exemplo eorum, qui Dianæ Ephesiæ ædem fecissent, & ipsi ædem Dianæ in Auentino ædificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino miræ magnitudinis nata est; responsum somnio datum, eum populum summam imperij habiturum, qui prius bouem illam immolasset. Latinus

bouem

bouem in Auentinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus, dixit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tyberim descendit, sacerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuibus, sibi gloriam facto, consilioq; vindicauit. Seruius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, quum Tarquinij Superbi filios pari animo videret, vt omnium menteis morum diuersitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites seu forte, seu fraude perierunt. Feroces morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, aduocato senatu regnum paternum repetere cœpit. Quare audita, Seruius, dum ad curiam properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia statim in forum properauit, & prima coniugem regem salutauit, à qua iussa turba recedere, quum domum rediret, viso patris corpore, mulionem euitantem, super ipsum corpus carpentum agere præcepit. Vnde vicus ille sceleratus dictus. Postea Tullia cum coniuge in exilium acta.

DE TARQVINIO SVPERBO, ROMANORVM REGE SEPTIMO.

TARQVINIVS *Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio, regnum sceleste occupauit: tamen bello strenuus; Latinos, Sabinosq; domuit; Suessam Pometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextum*

filium simulato transfugio in potestatem redegit. Et ferias Latinas primus instituit. Lacus in Circo & cloacam maximam fecit, vbi totius populi viribus vsus est: vnde illæ fossæ Quiritum sunt dictæ. Quum capitolium inciperet, caput hominis inuenit: vnde cognitum est eam vrbem caput gentium futuram: & quum in obsidione Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsenam Hetruriæ regem confugit, cuius ope regnum retinere tentauit. Pulsus, Cumas concessit, vbi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

DE TARQVINIO COLLATINO.

TARQVINVS *Collatinus sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenum regiorum Ardeæ erat. Vbi quum forte in liberiore conuiuio coniugem suam vnusquisq; laudaret, placuit experiri. Itaq; equis Romam petunt. Regias nurus in conuiuio, & luxu deprehendunt: exindè Collatiam petunt, Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. Ita ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit, & iure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa postero die aduocatis patre & coniuge, rem exposuit, & se cultro, quem veste texerat, occidit. Illi in exitium regum coniurarunt, eorumq; exilio necem Lucretiæ vindicauerunt.*

DE

DE IVNIO BRVTO.

IVNIVS Brutus, sorore Tarquinij Superbi genitus, quum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occisus, stultitiam finxit. Vnde Brutus dictus. Iuuenibus regijs Delphos euntibus ridiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum deo donum tulit. Vbi responsum est, eum Romæ summam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiæ stuprum, cum Tricipitino, & Collatino in exitium regum coniurauit. Quibus in exilium actis, primus consul creatus, filios suos, fratrisq; quod cum Aquilijs, & Vitellijs ad recipiendum in vrbem Tarquinios coniurauerant, virgis cæsos securi percussit. Deinde in prælio quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij congressus, se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Cuius corpus in foro positum, à collega laudatum, matronæ anno luxerunt.

DE HORATIO COCLITE.

PORSENA rex Hetruscorum, quum Tarquinios in vrbem restituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cepisset, Horatius Cocles illo cognomine, quod in alio prælio oculum amiserat, pro ponte sublicio stetit, & aciem hostium sustinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cum quo in Tyberim decidit, & armatus ad suos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publice datum

datum est quantum vno die circumarari potuisset: statua quoq; ei in Vulcanali posita.

DE MVTIO SCÆVOLA.

QVVM Porsena rex vrbem obsideret, Mutius Scæuola Codrus, vir Romanæ constantiæ senatum adijt, & veniam transfugiendi petijt, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsenæ venit, ibiq; purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehensus, & ad regem pertractus, dexteram aris imposuit, hoc supplicij ab ea exigens, quod in cæde peccasset. Vnde quum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens ait, trecentos aduersum eum similes coniurasse. Qua re ille territus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mutio prata trans Tyberim data, ab eo Mutia appellata. Statua quoq; ei honoris gratia constituta est.

DE CLOELIA VIRGINE.

PROSENA Cœliam virginem nobilem inter obsides accepit, quæ deceptis custodibus, noctu castris eius egressa: equum, quem sors dederat, arripuit, & Tyberim traiecit. A Porsena per legatos repetita, reddita. Cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset in patriam redire permisit. Illa virgines puerosq; elegit, quorum ætatem iniuriæ obnoxiam sciebat.

huic statua equestris in foro posita.

DE

DE MORTE FABIÆ GENTIS.

ROMANI *quum aduersum Veienteis bellarent, eos sibi hosteis familia Fabiorum priuato nomine deposcit, & profecti trecenti sex duce Fabio consule fuerunt. Quum sæpe victores extitissent, apud Cremeram fluuium castra posuerunt. Veientes ad dolos conuersi, pecora ex aduerso in conspectu illorum posuerunt: ad quæ progressi Fabij, in insidias delapsi, ad vnum occisione perierunt. Dies quo id factum, inter nefastos relatus. Porta, qua profecti fuerant, scelerata est appellata. Vnus ex ea gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagauit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, cunctator ab obtrectatoribus dictus.*

DE LVCIO VALERIO PVBLICOLA.

LVCIVS *Valerius Volesi filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de vtrisq; gentibus triumphauit. hic, quia in locum Tricipitini alij, Bruti collegæ consulem subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus quod de se tale aliquid timuissent, immisit qui domum suam diruerent. Secures etiam fascibus dempsit, eosq; in populi concione submisit. Legem de prouocatione à magistratibus ad populum tulit, hinc Publicola dictus. Quum diem obijsset, publice sepultus, & annuo matronarum luctu honoratus est.*

DE AVLO POSTHVMIO.

TARQVINIVS *eiectus ad Manilium Tusculanum generum suum confugit, qui cum Latio concitato Romanos grauiter vrgeret, Aulus Posthumius dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit. Vbi quum victoria nutaret, magister equitum equis frenos detrahi iussit, vt irreuocabili impetu ferrentur : vbi & aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos dictator quæsitos, vt dignis muneribus honoraret, non reperit. Castorem & Pollucem ratus, communi titulo dedicauit.*

DE LVCIO QVINTIO CINCINNATO.

LVCIVS *Quintius Cincinnatus filium Cæsonem petulantissimum abdicauit, qui & à censoribus notatus, ad Volscos & Sabinos confugit, qui duce Cælio Graccho bellum aduersum Romanos gerebant, & Q. Minutium consulem in Algido monte obsidebant. Quintius dictator dictus, ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tyberim offenderunt, qui insignibus sumptis consulem obsidione liberauit. Quare à Minutio, & eius exercitu obsidionali corona donatus est. Vicit hostes. Ducem eorum in deditionem accepit, & in triumphi die ante currum egit. Sextodecimo die dictaturam, quam acceperat, deposuit, & ad agriculturam reuersus : iterum post viginti annos dictator dictus, Spurium Melium*

regnum

regnum affectantem, à Seruilio Hala magistro equitum occidi iussit. Domum eius solo æquauit: vnde locus ille Æquimelium dictus.

DE MENENIO AGRIPPA.

MENENIVS Agrippa cognomento Lanatus, dux electus, aduersum Sabinos, de ijs triumphauit: & quum populus à patribus secessisset, quod tributum & militiam toleraret, nec reuocari posset, Agrippa apud eum olim, inquit, humani artus, quum ventrem ociosum cernerent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negauerunt. Cum eo pacto & ipsi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per omnia membra digerere: & cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus & populus, quasi vnum corpus discordia pereunt, concordia valent. Hac fabula populus regressus est. Creauit tamen tribunos plebis, qui libertatem suam aduersum nobilitatis superbiam defenderent. Menenius autem tanta paupertate decessit, vt eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulchro senatus publice daret.

DE CNEO MARTIO CORIOLANO.

CNEVS Martius captis Coriolis, vrbe Volscorum, Coriolanus dictus: ob egregia militiæ facinora, à Posthumio optionem munerum accipiens, equum tantum & hospitem sumpsit, virtutis & pietatis exemplum. Hic consul graui annona aduectum è Sicilia frumentum magno precio, dandum populo curauit, vt hac iniuria

iniuria plebs agros, non seditiones coleret. Ergo à tribuno plebis Decio die dicta, ad Volscos concessit, eosq; duce Actio Tullio aduersus Romanos concitauit, & ad quartum ab vrbe lapidem castra posuit. Quumq; nullis ciuium legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volumnia vxore matronarum numero comitata motus, omisso bello, vt proditor occisus. Ibi templum Fortunæ muliebri constitutum est.

DE LICINIO STOLONE.

FABIVS *Ambustus ex duabus filijs alteram Licinio Stoloni, alteram Aulo Sulpitio Patritio coniugem dedit: quarum plebeia quum sororem salutaret, cuius vir tribunus militum consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecenter expauit: à sorore irrisa, marito questa, qui adiuuante socero, vt primum tribunatum plebis aggressus est, legem tulit, vt alter consul ex plebe crearetur. Lex resistente Appio Claudio, lata tamen. Et primus Licinius Stolo consul factus, idem lege sanciuit, ne cui plebeio plus centum iugera agri haberi liceret. Et ipse quum iugera centum quinquaginta haberet, & altera emancipati filij nomine possideret, in iudicium vocatus, & primus omnium sua lege punitus est.*

DE VIRGINIO CENTVRIONE.

POPVLVS *Romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, decemuiros legibus scribendis creauit; qui*

qui eas ex libris Solonis translatas duodecim tabulis exposuerunt. Sed quum eo pacto dominationis magistratum sibi prorogarent, vnus ex ipsis Appius Claudius Virginiam Virginij centurionis filiam, in Algido militantis adamauit: quam quum corrumpere non posset, clientem subornauit, qui eam in seruitutem deposceret. facile victurus quum ipse esset accusator & iudex. pater re cognita, quum ipso iudicij die superuenisset, & filiam iam addictam videret, vltimo eius adloquio impetrato, quum eam in secretum abduxisset, occidit, & corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit: qui creatis decem tribunis Auentinum occuparunt. Decemuiros abdicare se magistratu præceperunt, eosq; omnes aut morte, aut exilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

DE ÆSCVLAPIO.

ROMANI *ob pestilentiam, responso monente, ad Æsculapium Epidauro accersendum decem legatos principe Q. Volumnio miserunt. Qui quum eò venissent, & simulacrum ingens mirarentur, anguis è sedibus eius elapsus venerabilis, non horribilis, per mediam vrbem cum admiratione omnium ad nauem Romanorum perrexit, & se in Volumnij tabernaculo conspirauit. Legati deum vehentes, Antium profecti sunt, vbi per mollitiem anguis proximum Æsculapij fanum petijt, & post paucos dies ad nauim redijt: & quum aduerso Tyberi subuehere-*

ueheretur, in proximam siluam desiluit, vbi templum ei constitutum, & pestilentia mira celeritate sedata est.

DE FVRIO CAMILLO.

FVRIVS *Camillus quum Phaliscos obsideret, ac ludi litterarum magister, principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum ijsdem pueris in vrbem redigendum, & verberandum tradidit. Statim Phalisci se ei ob tantam iustitiam dediderunt. Veios decenni obsidione domuit, deq; ijs triumphauit. Postmodum crimini datum quod albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset, die dicta ab Apuleio tribuno plebis damnatus, Ardeam concessit: mox cum Galli Senones relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium Hetruriæ obsiderent, missi sunt Romani tres legati, qui Gallos monerent, vt ab oppugnatione desisterent. Ex ijs vnus contra ius gentium inaciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli petitis in deditionem legatis, nec impetratis Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam fluuium occiderunt, die XVI. Kalend. Augusti, qui dies inter nefastos relatus Allienſis dictus. Victores Galli vrbem intrauerunt, vbi nobilissimos senum in curulibus, & honorum insignibus primo vt deos venerati, deinde vt homines despicati, interfecere. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit; vbi obsessa, Camilli virtute liberata est, qui absens dictator dictus, collectis reliquijs, Gallos improuisos internecione occidit. Populum Romanum migrare Veios volen-*

tem

rem retinuit. Sic & oppidum ciuibus, & ciues oppido reddidit.

DE MANLIO CAPITOLINO.

MANLIVS ob defensum Capitolium, Capitolinus dictus, sexdecim annorum voluntarium militem se obtulit. Triginta septem militaribus donis à suis ducibus ornatus, viginti treis cicatrices in pectore habuit. Capta vrbe auctor in Capitolium fugiendi. quadam nocte clangore anseris excitatus, Gallos ascendentes deiecit. Patronus à ciuibus appellatus, & farre donatus est. Donum etiam in Capitolio publice accepit. Qua superbia elatus, quum à senatu suppressisse Gallicos thesauros argueretur, & addictos propria manu liberaret, regni affectati suspicione, in carcerem coniectus, populi consensu liberatus est. Rursus quum in eadem culpa, & grauius perseueraret, & reus factus, & ob conspectum Capitolij ampliatus, alio deinde loco damnatus, & de saxo Tarpeio præcipitatus. Domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlij cognomine iurauit, ne quis posteà Capitolinus vocaretur.

DE CORNELIO COSSO.

FIDENATES fidei Romanorum hostes, vt sine spe veniæ fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt, ad quos Quintius Cincinnatus dictator missus, magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit.

De

De eo spolia opima Ioui Pheretrio secundus ab Romulo consecrauit.

DE PVBLIO DECIO PATRE.

DECIVS *Mus bello Samnitico sub Valerio Maximo, & Cornelio Cosso consulibus, tribunus militum, exercitu in angustijs Gauri montis insidijs hostium clauso, accepto quod postulauerat præsidio, in superiorem locum euasit, hosteis terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis euasit. Ob hoc ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei, qui ciueis in bello seruasset; obsidionali, quæ dabatur ei, qui obsidione ciues liberasset; donatus est. Consul bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluuium castris, quum vtriq; consuli somnio obuenisset, eos victores futuros, quorum dux in prœlio cecidisset: quum collato cum collega somnio conuenissent, vt cuius cornu in acie laboraret, dijs se manibus vouerent, inclinante sua parte, se & hosteis per Valeriũ pontificem dijs è manibus deuouit. Impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit.*

DE PVBLIO DECIO FILIO.

PVBLIVS *Decius Decij filius, primo consul de Samnitibus triumphauit. Spolia de ijs Cereri consecrauit. Iterum, & tertio consul multa domi militiaq; gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, quum Galli, Samnites, Vmbri, Tusci contra Romanos conspirassent, ibi*

ibi exercitu in aciem ducto & cornu inclinante, exemplum patris imitatus, aduocato M. Liuio pontifice hastæ insistens, & solennia verba respondens, se & hostes dijs manibus deuouit. Impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnifice sepultum est.

DE TITO MANLIO TORQVATO.

TITVS *Manlius Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatem à patre rus relegatus, quum audisset ei diem dictam à Pomponio trib. pl. noctu vrbem petijt. Secretum colloquium à tribuno impetrauit, & gladio stricto, dimittere eum accusationem terrore multo compulit. Sulpitio dictatore tribunus militum Gallum prouocatorem occidit. Torquem ei detractum, ceruici suæ induit. Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Verserim fluuium Decij collegæ deuotione superauit. Cōsulatum recusauit, quod diceret neq; se populi vitia, neq; illum seueritatem suam posse sufferre.*

DE MARCO VALERIO CORVINO.

RELIQVIAS *Senonum Camillus persequebatur, aduersum ingentem Gallum prouocatorem solus Valerius trib. militum, omnibus territis, processit. Coruus ab ortu solis galeæ eius insedit; & inter pugnandum ora, oculosq; Galli verberauit: hoste deuicto Valerius Coruinus di-*

nus dictus. hic quum ingens multitudo ære alieno oppressa Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quintium necessitate compulsum fecisset, sublato ære alieno, seditionem compressit.

DE PONTIO THELESINO.

CAIVS *Venturius, & Spurius Posthumius consules, bellum aduersum Samnites gerentes, à Pontio Thelesino duce hostium per insidias seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanis dicerent, Luceriam à Samnitibus obsideri in Apulia, quo duo itinera ducebant, aliud longius, & tutius: aliud breuius, & periculosius. Festinantibus itaq; , cum insidias statuisset, qui locus furculæ Caudinæ vocatur, Pontius accitum patrem Herennium rogauit, quid fieri placeret. ille ait: aut omneis occidendos, vt vires frangerentur: aut omneis dimittendos, vt beneficio obligarentur. Vtroq; improbato consilio, omneis sub iugo misit ex fœdere: quod à Romanis improbatum est. Posthumius Samnitibus deditus, nec receptus.*

DE LVCIO PAPYRIO CVRSORE.

LVCIVS *Papyrius à velocitate cursor, quum consulem se aduersis omnibus aduersum Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus, edixit Fabio Rutiliano, quem exercitui præponebat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille oportunitate ductus pugnauit. Reuersus eum securi ferire voluit: ille in vr-*

in vrbem confugit, nec supplicem tribuni tuebantur. Deinde pater lachrymis, populus precibus veniam impetrarunt. Papyrius de Samnitibus triumphauit. Idem Prænestę quum prætorem grauissime increpuisset: expedi, inquit, lictor secures. Et quum eum metu mortis attonitum vidisset, incommodam ambulantibus radicem excidi iussit.

DE QVINTO FABIO RVTILIANO.

QVINTVS *Fabius Rutilianus, primus ex ea familia ob virtutem maximus, magister equitum à Papyrio Cursore securi pene percussus. Primum de Apulis & Lucerinis, iterum de Samnitibus, tertio de Gallis Vmbris, Marsis, atq; Tuscis triumphauit. Censor libertinos trib. amouit. Iterum censor fieri noluit; dicens non esse ex vsu reipub. eosdem censores sapius fieri. Hic primus instituit, vti equites Romani idibus Quintilibus ab ęde Honoris equis insidentes in Capitolium transirent. Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congestum, vt inde filius viscerationem & epulas publice daret.*

DE MARCO CVRIO DENTATO.

MARCVS *Curius Dentatus, primo de Samnitibus triumphauit, quos vsq; ad mare superum perpacauit. Regressus in concione ait: Tantum agri cepi, vt solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem:*

tantum porro hominum cepi, vt fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem. Iterum de Sabinis triumphauit. Tertio de Lucanis ouans vrbem introiuit. Pyrrhum regem Epeirotarum Italia expulit: quaterna dena agri iugera viritim populo diuisit. Sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapas torreret: malo, inquit, hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Quum interuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit: iurauitq; se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Aquam deinde Anienem manibus hostium in vrbem induxit. Tribunus plebis patres autores fieri coëgit comitijs, quibus plebeius magistratus creabatur: ob hæc merita domus ei apud Tiphatam & agri iugera quingenta publice data.

DE APPIO CLAVDIO CÆCO.

APPIVS Claudius cæcus, in censura libertinos quoq; in senatum legit; epulandi, decantandiq; ius tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ, scilicet Potitiorum & Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes precio corrupit, vt sacra Herculea seruos publicos edocerent, vnde cæcatus est. Gens Potitiorum funditus perijt. Ne consulatus cum plebeis communicaretur, acerrime restitit: ne Fabius solus ad

bellum

bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnites, Hetruscos bello domuit. Viam vsq; Brunduſium ſtrauit lapidibus, vnde illa Appia dicta; aquam Anienem in vrbem induxit. Cenſuram ſolus omni quinquennio obtinuit. quum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam precio quæreretur, ſenex & cæcus lectica in ſenatum latus, turpiſſimas conditiones magnifica oratione diſcuſſit.

DE PYRRHO REGE EPEIROTARVM.

PYRRHVS *rex Epeirotarum materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, quum imperium orbis agitans Romanos potentes videret, Apollinem de bello conſuluit. Ille ambigue reſpondit: Aio te Æacida Romanos vincere poſſe: hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinis venit; bellum Romanis intulit; Leuinum conſulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit. Quumq; Romanos aduerſis vulneribus occiſos videret: ego, inquit, talibus viris breui orbem terrarum ſubigere potuiſſem. Amicis gratulantibus: quid mihi cum tali victoria, inquit, vbi exercitus robur amittam? ad vigeſimum ab vrbe lapidem caſtra poſuit, captiuos Fabricio gratis reddidit. Viſo Leuinij exercitu, eandem ſibi ait aduerſum Romanos, quã Herculi aduerſus hydram fuiſſe fortunam. A Curio & Fabricio ſuperatus, Tarentum refugit, in Siciliam traiecit. Mox in Italiam Locros regreſſus, pecuniam Proſerpinæ*

serpinæ auehere tentauit. Sed ea naufragio elata est. Tum in Græciam regressus, dum Argos oppugnaret, ictu tegulæ prostratus est. Corpus ad Antigonum regem Macedoniæ delatum, magnifice sepultum.

DE VOLSCINIIS.

VOLSCINII, *Hetruriæ nobile oppidum, luxuriæ penè perierunt. Nam quum temere seruos manumitterent, dum in curiam legerent, consensu seruorum oppressi, quum multa indigna paterentur, clam Romæ auxilium petierunt. Missusq; Decius Murena mox libertinos omneis aut in carcere necauit, aut dominis in seruitutem restituit.*

DE APPIO CLAVDIO CAVDACE.

APPIVS *Claudius, victis Carthaginiensibus cognomento Caudax, frater Cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus, quorum arcem Carthaginienses & Hiero rex Syracusanus obsidebant. Primo ad explorandos hosteis fretum piscatoria naue traiecit, & cum duce Carthaginiensium egit, vt præsidium arce deduceret: Rhegium regressus quinqueremen hostium copijs pedestribus cepit, phalangem in Siciliam traduxit. Carthaginienseis Messana expulit. Hierona regem prælio apud Syracusas in deditionem accepit: qui eo periculo territus Romanorum amicitiam petijt, eisq; postea fidelissimus fuit.*

DE

DE CNEO DVILLIO ET HIMILCONE POENORVM DVCE.

CNEVS *Duillius primo Punico bello dux contra Carthaginienſeis miſſus, quum videret eos multum mari poſſe, claſſem magis validam quam decoram fabrefecit: & quas coruos vocauere, manus ferreas cum irriſu hoſtium primus inſtituit. Quibus inter pugnandum hoſtium naueis apprehendit, qui victi, & capti ſunt. Himilco dux claſſis Carthaginem fugit, & à ſenatu quæſiuit, quid faciendum cenſerent? omnibus vt pugnaret, adclamantibus: Feci, inquit, & victus ſum. ſic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux male reſta puniebatur. Duillio conceſſum eſt, vt prælucente funali, & præcinente tibicine, à cena publice rediret.*

DE ATTILIO CALATINO.

ATTILIVS *Calatinus dux Romanorum aduerſus Carthaginienſeis miſſus, maximis, & munitiſſimis ciuitatibus, Ætna, Drepano, Lilybæo hoſtilia præſidia deiecit. Panormum cepit, totamq; Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hoſtium claſſem, duce Hamilcare, ſuperauit. Sed quum ad Camerinã ab hoſtibus obſeſſam feſtinaret, à Pœnis in anguſtijs clauſus eſt, vbi tribunus militum Calphurnius Flamma acceptis trecentis in ſuperiorem locum euaſit. Conſulẽ liberauit:*

ipse cum trecentis pugnans cecidit, & postea ab Attilio semianimis inuentus, & sanatus, magno postea terrori hostibus fuit. Attilius glorioſe triumphauit.

DE MARCO ATTILIO REGVLO.

MARCVS *Attilius Regulus consul, fusis Salentinis triumphauit, primusq; Romanorum ducum in Africam classem traiecit; quassatas, duce Hamilcare, naueis longas treis & sexaginta accepit. Oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepit: absente eo coniugi eius, & liberis ob paupertatem sumptus publice dati. Mox arte Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis captus in carcerem missus, legatus de permutandis captiuis Romam missus, dato iureiurando, vt si non impetrasset, ita demum rediret: in senatu conditionem dissuasit, reiectisq; à se coniuge & liberis, Carthaginem regressus, vbi in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum adactis, vigilijs ac dolore punitus est.*

DE QVINTO LVCTATIO CATVLO.

QVINTVS *Luctatius Catulus primo Punico bello trecentis nauibus aduersum Pœnos profectus, sexcentas eorum naueis commeatibus, & alijs oneribus impeditas duce Himilcone apud Egates insulas inter Siciliam & Africam depressit, finemq; bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, vt Sicilia, Sardinia, & cete-*

ceteris insulis intra Italiam, Africamq; decederent, Hispania citra Hiberum fluuium abstinerent.

DE HANNIBALE CARTHAGINIENSI DVCE.

HANNIBAL Hamilcaris filius vndecim annos natus à patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde socius, & miles in castris patris fuit, mortuo eo causam belli quærens, Saguntum Romanis fœderatam intra sex menseis euertit. Tum alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium apud Transimenum, Paulum & Varronem apud Cannas superauit. Quumq; vrbem capere posset, in Campaniam diuertit, cuius delicijs elanguit. Et cum ad tertium ab vrbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus primum à Fabio Maximo frustratus: deinde à Valerio Flacco repulsus; à Graccho & Marcello fugatus; in Africam reuocatus; à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit, eumq; hostem Romanis fecit: quo victo ad Prusiam Bithyniæ regem concessit. Vnde Romam legatione repetitus, hausto, quod sub annuli gemma habebat veneno, absumptus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodie quoq; inscriptum est:

HANNIBAL HIC SITVS EST.

DE QVINTO FABIO MAXIMO.

QVINTVS Fabius Maximus cunctator, vt verru-

cosus à verruca in labris, ita Ouicula à clementia morum. Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. Minutium magistrum equitum imperio aquari sibi passus est, & nihilonimus periclitanti subuenit. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statilium transfugere ad hostes volentem, equo & armis donatis retinuit. & Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit. Herculis signum inde translatum in Capitolio dedicauit. De redemptione captiuorum cum hostibus pepigit: quod pactum quum à senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit.

DE PVBLIO SCIPIONE NASICA.

PVBLIVS *Scipio Nasica, à senatu vir optimus iudicatus, matrem deum hospitio recepit. Quum aduersum auspicia consulem à se Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicauit. Censor statuas, quas sibi quisq; per ambitionem in foro ponebat, sustulit: consul Delminium vrbem Delmatarum expugnauit; imperatoris nomen à militibus, & ab senatu triumphum recusauit oblatum. Eloquentia primus, iurisscientia consultissimus, ingenio sapientissimus fuit, vnde vulgo corculum dictus.*

DE

DE MARCO MARCELLO.

MARCVS Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari prœlio fudit; spolia legit apud Nolam; Hannibalem primus locorum angustia adiutus vinci docuit. Syracusas per treis annos expugnauit, & quum per calumniam triumphus ei à senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphauit. Quinquies consul, insidijs Hannibalis deceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt.

DE LIVIA CLAVDIA VIRGINE VESTALI.

HANNIBALE Italiam deuastante, ex responso librorum Sibyllinorum mater deum è Pessinunte accersita, quum aduerso Tyberi veheretur, repente in alto stetit: & quum moueri nullis viribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demum fœminæ manu moueri posse. Tum Claudia virgo Vestalis falso incestu suspecta, deam orauit, vt si pudicam sciret, sequeretur. Et Zona imposita nauem mouit. Simulacrum matris deum aduexit. Templum ædificauit Nasica, qui vir optimus iudicabatur.

DE MARCO PORCIO CATONE.

MARCVS Porcius Cato, genere Tusculanus, à Valerio Flacco Romam solicitatus, tribunus militum in Sici-

Sicilia, quæstor sub Scipione fortissimus, prætor iustissimus fuit. In prætura Sardiniam subegit. Vbi ab Ennio Græcis litteris institutus, consul Celtiberos domuit. Et ne rebellare possent, litteras ad ciuitates singulas misit, vt muros diruerent, quum vnaquæq; sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello tribunus militum sub Marco Attilio Glabrione occupatis Thermopylarum iugis, præsidium hostium depulit. Censor L. Flaminium consularem senatu mouit, quod ille in Gallia ad cuiusdã scorti spectaculum eductum, quendam è carcere in conuiuio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis ornamenta erepta Oppia lege repetentibus restitit. Accusator assiduus malorum, Galbam octogenarium accusauit. Ipse quadragies quater accusatus, glorioſe absolutus. Carthaginem delendam censuit, post octuaginta annos filium genuit. Imago huius funeris gratia produci solet.

DE CLAVDIO NERONE, ET HASDRVBALE FRATRE HANNIBALIS.

HASDRVBAL *frater Hannibalis ingentibus copijs in Italiam traiecit: actumq; erat de Romano imperio, si coniungere Hannibali copias potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale castra coniunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Hasdrubalem properauit, & se Liuio collega apud Senam oppidum, & Metaurum flumen coniunxit: amboq; Hasdrubalem vice-*

vicerunt. Nero regressus, pari celeritate, qua venerat, caput Hasdrubalis ante vallum Hannibalis proiecit, quo ille viso, vinci se fortuna Carthaginis confessus est: ob hæc Liuius triumphans, Nero ouans, vrbem intoierunt.

DE PVBLIO CORNELIO SCIPIONE AFRICANO.

PVBLIVS *Scipio, ex virtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditus: nam ante quam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit. Et ipsi paruulo draco circumfusus nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quicquam prius cœpit, quam in cella Iouis diutissime sedisset, quasi diuinam mentem accepisset. Decem & octo annorum patrem apud Ticinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes Italiam deserere cupientes sua auctoritate compescuit. Reliquias incolumes per media hostium castra Canusium perduxit. Viginti quatuor annorum prætor in Hispaniam missus, Carthaginem, qua die venit, cepit. Virginem pulcherrimam, ad cuius aspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci, patriq́ue eius, ac sponso restitui iussit. Hasdrubalem Magonemq́; fratres Hannibalis, Hispania expulit. Amicitiam cum Syphace Maurorum rege coniunxit. Masiniſſam in societatem recepit. Victor domum regressus consul ante annos factus, concedente collega in Africam classe traiecit. Hasdrubalis & Syphacis castra vna nocte perrupit. Reuocatum ex Italia Hannibalem*

superа-

superauit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit. Bello Antiochi legatus fratri fuit, captum filium gratis recepit. A Petilio & Neuio tribuno pleb. repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit. Hac die, inquit, Carthaginem vici, quasi bonum factum: in Capitolium eamus, & diis supplicemus. Inde in voluntarium exilium concessit, vbi reliquam egit aetatem. Moriens ab vxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

DE LIVIO SALINATORE.

LIVIVS *Salinator primo consul de Illyrijs triumphauit: deinde ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus. Iterum cũ Claudio Nerone inimico suo consul, ne respub. discordia male administraretur, amicitiam cum eo coniunxit, & de Hasdrubale triumphauit. Censor cum eodem collega omneis tribus, excepta Metia, aerarias fecit; stipendio priuauit, eo crimine, quod aut prius se iniuste condemnassent, aut postea tantos honores non recte tribuissent.*

DE T. QVINTIO FLAMINIO.

TITVS *Quintius Flaminius Q. Flaminij, qui apud Trasimenum perijt, filius, consul Macedoniam sortitus, ducibus Charopis principis pastoribus prouinciam ingressus, regem Philippum prœlio fudit, castris exuit: filium eius Demetrium obsidem accepit, quem pecunia multatum in regnum restituit. A Nabide quoq; Lacedamonio*

nio filium obsidem accepit. Liberos etiam Græcos Nemeæ per præconem pronunciauit. Legatus etiam ad Prusiam, vt Hannibalem repeteret, missus.

DE M. FVLVIO NOBILIORE.

MARCVS Fuluius nobilior, consul Ætolos, Ambratiatasq; superauit. Vnde ouans vrbem introïit. Consul Achæos, qui bello Macedonico interfuerant, post ad Antiochum defecerant, prœlijs frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit: tum signis, tabulisq; pictis spoliauit, de quibus triumphauit. Quam victoriam per se magnificam, Marcus Ennius amicus eius insigni laude celebrauit.

DE LVCIO SCIPIONE ASIATICO.

SCIPIO Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine à fratre laudatus, consul Antiochum regem Syriæ, legato fratre apud Sipylum montem, quum arcus hostium pluuia hebetati fuissent, vicit, & regni relicti à patre, parte priuauit; hinc Asiaticus dictus. Post reus pecuniæ interceptæ, ne in carcerem duceretur, Gracchus trib. pleb. intercessit. M. Cato censor, equum ei ignominiæ causa ademit.

DE ANTIOCHO REGE SYRIÆ.

ANTIOCHVS Syriæ rex nimia opum fiducia bellum

bellum Romanis intulit, specie Lysimachiæ repetendæ, quam à maioribus suis in Thracia condita Romani possidebant, statimq; Græciam, insulasq; eius occupauit. In Euboëa luxuria elanguit. Aduentu Attilij Glabrionis exercitus Thermopylas occupauit. Vnde industria Marci Catonis eiectus, in Asiam refugit, nauali prælio, cui Hannibalem præfecerat, A. L. Æmilio Regillo superatus, filium Scipionis Africani, quem inter nauigandum ceperat, patri remisit: qui ei, quasi pro reddenda gratia suasit, vt amicitiam Romanam peteret. Antiochus spreto consilio, apud Sipylum montem cum L. Scipione conflixit: Victus & vltra Taurum montem relegatus à sodalibus, quos temulentus in conuiuio pulsauerat, occisus est.

DE CNEO MANLIO VOLSONE.

CNEVS *Manlius Volso, missus ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, cupiditate triumphi bellum Pisidis & Gallogræcis, qui Antiocho affuerant, intulit. His facilè victis, inter captiuos vxor regis Ortiagontis centurioni cuidam in custodiam data, à quo vi stuprata de iniuria tacuit. Et post impetrata redemptione, marito adulterum centurionem interficiendum tradidit.*

DE LVCIO ÆMILIO PAVLO MACEDONICO.

LVCIVS *Paulus Æmilius filius eius, qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post treis repulsas ade-*

sas adeptus erat, de Liguribus triumphauit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publice posuit: iterum consul Persem Philippi filium regem Macedonum apud Samothracas cepit: quem victum fleuit, & assidere sibi iussit, tamen in triumphum duxit. In hac lætitia duos filios amisit. Et progressus ad populum, gratias fortunæ egit, quod si quid aduersi reip. imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia & à populo, & à senatu concessum est, vt ludis Circensibus triumphali veste vteretur. Ob huius licentiam, & paupertatem post mortem eius dos vxori nisi venditis possessionibus non potuit exolui.

DE T. SEMPRONIO GRACCHO.

TITVS *Sempronius Gracchus nobilissima familia ortus, Scipionem Asiaticum quamuis inimicum, duci in carcerem non est passus. Prætor Galliam domuit; consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam: tantumq; captiuorum adduxit, vt longa venditione res in prouerbium veniret:* SARDI VENALES. *Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quatuor vrbanas diuisit: ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus: & quum eum duæ classes condemnassent, Tiberius iurauit, se cum illo in exilium iturum. Ita reus absolutus est. Et quum in domo Tiberij duo angues è geniali thoro serpsissent, responso dato, eum de dominis periturum, cuius sexus an-*

guis fuisset occisus. Amore Corneliæ coniugis marem iussit interfici.

DE P. SCIPIONE ÆMILIANO.

PVBLIVS *Scipio Æmilianus Pauli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonio cum patre agens, victum Persem tam pertinaciter persecutus est, vt media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispaniam legatus, apud Intercatiam oppidum prouocatorem singulari prælio vicit. Muros hostilis ciuitatis primus ascendit. Tribunus in Africa sub Tito Manilio imperatore cohortes octo obsidione vallatas, consilio & virtute seruauit, à quibus corona obsidionali donatus. Quum ædilitatem peteret, cōsul ante annos vltro factus, Carthaginem intra sex menseis deleuit. Numantiam in Hispania correcta prius militum disciplina, fame vicit; hinc Numantinus dictus. Caio Lelio plurimum vsus. Ad reges adeundos missus, duos secum præter eum seruos duxit. Ob res gestas superbus, Gracchum iure occisum videri respondit. Obstrepente populo; Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est, non mater: & addidit, Quos sub corona vendidi. Censor Mummio collega segniore in senatu ait: vtinam mihi collegam aut dedisses, aut non dedisses. Suscepta Agrariorum causa, domi repente exanimis inuentus, obuoluto capite elatus, ne liuor in ore appareret. Huius patrimonium tam exiguum fuit, vt XXXII. libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit.*

DE

DE AVLO HOSTILIO MANCINO.

AVLVS Hostilius Mancinus prætor aduersum Numantinos vetantibus auibus, & nescio qua voce reuocante, profectus, quum ad Numantiam venisset, exercitum Pompeij acceptum prius corrigere decreuit, inde solitudinem petit. eo die Numantini forte solenni nupta filias locabant; & vnam speciosam, duobus competentibus pater puellæ conditionem tulit, vt ei illa nuberet, qui hostis dextram attulisset. Profecti iuuenes abscessum Romanorum in modum fugæ properantium cognoscunt, rem ad suos referunt. Illi statim quatuor millibus, viginti millia Romanorum cæciderunt. Mancinus auctore Tiberio Graccho quæstore in leges hostium fœdus percussit: quo per senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus, præturam postea consecutus est.

DE LVCIO MVMMIO ACHAICO.

LVCIVS Mummius deleta Achaia Achaicus, aduersus Corinthios missus, victoriam alieno labore quæsitam intercepit. Nam quum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset, cum lictoribus, & paucis equitibus in Metelli castra properauit: Corinthios apud Leucopetram vicit duce Dioneo, qui domum refugit, eamq; incendit, coniugem interfecit, & se in ignē præcipitauit, excepto ipso,

nemo interijt. Mummius Corinthum signis, tabulisq; spoliauit, quibus quum totam repleſſet Italiam, in domum ſuam nihil contulit.

DE Q. CÆCILIO METELLO MACEDONICO.

QVINTVS Cæcilius Metellus, à domita Macedonia Macedonicus: prætor Pſeudophilippum, qui idem Andriſcus dictus eſt, vicit. Achæos bis prœlio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Inuiſus plebi ob nimiam ſeueritatem: & ideo tertiò poſt duas repulſas, conſul agre factus, Arbachos in Hiſpania domuit. Apud Contrebiam oppidum cohortes loco pulſas redire, & locum recipere iuſſit. Quum omnia proprio, & ſubito conſilio ageret, amico cuidam quid acturus eſſet roganti: Tunicam inquit, meam exurerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. His quatuor filiorum pater, ſupremo tempore humeris eorum ad ſepulchrum latus eſt. Ex quibus treis conſuleis, vnum etiam triumphantem vidit.

DE Q. CÆCILIO METELLO NVMIDICO.

QVINTVS Cæcilius Metellus Numidicus, qui de Iugurtha rege triumphauit, cenſor Quintium, qui ſe Tiberij Gracchi filium mentiebatur in cenſum non recepit. Idem in legem Apuleiam per vim latam iurare noluit. Quare in exilium actus Smyrnæ exulauit. Claudia deinde rogatione reuocatus, cũ ludis forte litteras in theatro accepiſſet, non prius eas legere dignatus eſt, quam ſpecta-

spectaculum finiretur. Metellum sororis suæ virum laudare noluit, quod is olim suum iudicium, & leges detrectarat.

DE Q. METELLO PIO.

QVINTVS *Metellus Pius Numidici filius: Pius, quia patrem lachrymis, & precibus assidue ab exilio reuocauit. Prætor bello sociali, Q. Pompedium Marsorum ducem interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppressit. Sertorium Hispania expulit. Adolescens in petitione præturæ & pontificatus consularibus viris prælatus est.*

DE TIBERIO GRACCHO.

TIBERIVS *Gracchus Africani ex filia nepos, quæstor Mancino in Hispania, fœdus eius flagitiosum probauit. Periculum ditionis eloquentiæ gratia effugit. Tribunus plebis legem tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet. Octauio collega intercedente, nouo exemplo magistratu abrogauit. Deinde tulit, vt ea familia, quæ de Attali hæreditate erat, ageretur, & populo diuideretur. Deinde quum prorogare sibi potestatem vellet, aduersis auspitijs in publicum processit, statimq; Capitolium petijt, manum ad caput referens, qua salutem suam populo commendabat: hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur. Segniterq; cessante Mutio consule, Scipio Nasica sequi se iussit, qui saluam rempub. vellent; Gracchum in Capitolium persecutus oppressit. Cuius corpus Lucretij ædilis manu in Tyberim missum, vnde il-*

le Vespillo dictus. Nasica vt inuidiæ subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est.

DE CAIO GRACCHO.

CAIVS *Gracchus pestilentem Sardiniam quæstor sortitus, nō veniente successore, sua sponte discessit. Asculanæ & Fregellanæ defectionis inuidiam sustinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. Colonos etiam Capuam, & Tarentum mittendos censuit. Triumuiros agris diuidendis fe & Fuluium Flaccum, & C. Crassum constituit. Minutio Rufo tribuno plebis legibus suis abrogante, in Capitolium venit: vbi quum Attilius præco Opimij consulis in turba fuisset occisus, in forum descendit, & imprudens concionem à tribuno plebis auocauit. Quare accersitus, quum in senatum non veniisset, armata familia Auentinum occupauit. Vbi ab Opimio victus, dum à templo Dianæ desilijt, talum intorsit, & Pomponio amico apud portam trigeminam, P. Lectorio in ponte sublicio persequentibus resistente, in lucum Furinæ peruenit: Ibi vel sua vel serui Euphori manu interfectus, caput à Septumuleio amico Gracchi ad Opimium relatum, auro expēso fertur, propter auaritiam infuso plumbo grauius effectum.*

DE MARCO LIVIO DRVSO.

MARCVS *Liuius Drusus genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus, & superbus, ædilis munus magnificentissimum dedit, & ibi Rubrio collegæ quædam de vti-*

litate

litate reip. suggerente; quid tibi, inquit, cum Rep. nostra? Quæstor in Asia nullus insignibus vti voluit, ne quid ipso esset insignius. Trib. plebis Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit. Nimia liberalitatis fuit. Ipse etiam professus, nemini se ad largiendum præter cœlum & cœnum reliquisse. Ideoq; quũ pecunia egeret, multa cõtra dignitatem fecit. Magulsam Mauritaniæ principem ob regis simultatem profugum, accepta pecunia Bocho prodidit, quẽ ille elephanto obiecit. Adherbalem filiũ regis Numidarũ obsidem domi suæ sumpsit, redemptionem eius occulte à patre sperans. Cæpionem inimicũ actionibus suis resistentem, ait se de saxo Tarpeio præcipitaturũ. Consuli legibus Agrarijs resistẽti, ita collũ in comitio obtorsit, vt multus sanguis efflueret è naribus; quæ ille luxuria comprobans, morti iam detrudi se dicebat. Deinde ex gratia in inuidiam venit. Nam plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebãt, equites lecti latabuntur. Senatus permissis iudicijs exultabat: sed societatem cum equitibus ægre ferebat. Vnde Liuius anxius, vt Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant, repente in publico concidit siue morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine semianimis domum relatus. Vota pro illo per Italiam publice suscepta sunt: & quum Latini consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit, vt caueret. Vnde in senatu accusatus, quum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Inuidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit.

DE CAIO MARIO PATRE.

CAIVS *Marius septies consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus. Iugurtham captum ante currum egit: in proximum annũ consul vltro factus. Cymbros in Gallia apud aquas Sextias, Theutonas in Italia in campo Caudio vicit, deq; his triumphauit. Vsq; ad sextum consulatum per ordinem factus, Apuleium Saturninum tribunum plebis, & Glauciam prætorem, seditiosos ex senatusconsulto interemit. Et cum Sulpicia rogatione prouinciam Syllæ eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in palude latuit. Inuentus, & in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit, acceptaq; nauicula in Africam traiecit: ibi diu exulauit. Mox Cinnana dominatione reuocatus, ruptis ergastulis, exercitum fecit: cæsisq; inimicis iniuriam vltus septimo consulatu, vt quidam ferunt, voluntaria morte decessit.*

DE CAIO MARIO FILIO.

CAIVS *Marius filius vigintiquinq; annorum consulatum inuasit, quem honorem tam immaturum mater fleuit. hic patri sæuitia similis curiam armatus obsedit: inimicos trucidauit, quorum corpora in Tyberim præcipitauit. In apparatu belli, quod contra Syllam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus, sub dio requieuit, & absens victus, fugæ, non pugnæ, interfuit. Præneste refugit, vbi per Lucretium Offellam obsessus*

ſeſſus tentata per cuniculum fuga, quum omnia ſepta intelligeret, iugulandum ſe Pontio Theleſino præbuit.

DE LVCIO CORNELIO CINNA.

LVCIVS *Cornelius Cinna flagitioſiſsimus rempublicam ſumma crudelitate vaſtauit. Primo conſulatu legem de exulibus reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus, & honore priuatus, vrbe profugit: vocatiſq; ad pileum ſeruis, aduerſarios vicit. Octauium interfecit. Ianiculum occupauit. Iterum & tertio conſulem ſe ipſe fecit. Quarto conſulatu quum bellum contra Syllam pararet, Anconæ ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occiſus eſt.*

DE CAIO FIMBRIA.

C. FIMBRIA *ſæuiſsimus quippe Cinnæ ſatelles, Valerio Flacco conſuli legatus in Aſiam profectus, per ſimultatem dimiſſus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curauit. Ipſe correptis imperij inſignibus, prouinciam ingreſſus, Mitridatem Pergamo expulit. Ilium vbi tardius portæ patuerunt, incendi iuſſit, vbi Mineruæ templum inuiolatum ſtetit, quod diuina maieſtate ſeruatum nemo dubitauit. Idem Fimbria militiæ principes ſecuri percuſſit: mox à Sylla Pergami oppreſſus corrupto exercitu deſertus ſemet occidit.*

DE VIRIATO LVSITANO.

VIRIATVS *genere Luſitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate vector, audacia latro,*

ad postremum dux, bellum aduersum Romanos sumpsit, eorumq; imperatorem Claudium Vnimannum, deinde C. Nigidium oppressit. Pacem à Popilio maluit integer petere, quam victus. & quum alia dedisset, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cœpio quum vincere aliter non posset, duos satellites gecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perimerent. Quæ victoria, quia empta erat, à senatu non probata.

DE MARCO ÆMILIO SCAVRO.

MARCVS Æmilius Scaurus, nobilis, pauper: nam pater eius, quamuis patritius: ob paupertatem carbonarium negocium exercuit. Idem primo dubitauit, honores peteret, an argentariam faceret: sed eloquentiæ consultus ex ea gloriam peperit. Primo in Hispania corniculum meruit. Sub Horeste in Sardinia stipendia fecit. Ædilis iure reddendo magis, quam muneri edendo studuit. Prætor aduersus Iugurtham, tamen eius pecunia victus. Consul legem de sumptibus, & Libertinorum suffragijs tulit. P. Decium prætorem transeunte ipso, sedentem iussit adsurgere, eiq; vestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eum in ius iret, edixit. Consul Ligures, & Gantiscos domuit, atq; de his triumphauit. Censor Æmiliam strauit; pontem Miluium fecit. Tantumq; auctoritate potuit, vt Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam, & Saturninum priuato consilio armaret. Idem filium suum, quia præsidium deseruerat,

in

in conſpectum ſuum vetuit accedere. Ille ob hoc dedecus mortem ſibi conſciuit. Scaurus ſenex quum à Vario tribuno plebis argueretur quaſi ſocios, & Latium ad arma coëgiſſet, ad populum ait: Surius Sucronenſis Æmilium Scaurum ait ſocios ad arma coëgiſſe: Scaurus negat: vtri potius credendum putatis?

DE LVCIO APVLEIO SATVRNINO.

LVCIVS *Apuleius Saturninus trib. plebis ſeditioſus, vt gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, vt veteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur. Intercedentem Bebium collegam, facta per populum lapidatione, ſubmouit. Glauciæ prætori, quod is eo die, quo is concionem habebat, ius dicendo partem populi aduocaſſet, ſellam concidit, vt magis popularis videretur. Quendam Libertini ordinis ſubornauit, qui ſe Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc teſtimonium Sempronia ſoror Gracchorum producta, nec precibus nec minis adduci potuit, vt dedecus familiæ agnoſceret. Saturninus Aulo Memmio competitore interfecto tribunus plebis refectus, Siciliam, Achaiam, Macedoniam nouis colonis deſtinauit, & aurum dolo, an ſcelere Cæpionis partum, ad emptionem agrorum conuertit. Aqua & igni interdixit ei, qui in leges ſuas non iuraſſet. Huic legi multis nobilibus abrogantibus, quum tonuiſſet: iam, inquit, niſi quieſcitis, grandinabit. Metellus Numidicus exulare, quam iurare maluit. Saturninus tertio*

trib.

trib. plebis refectus, vt satellitem suum Glauciam prætorem faceret, Mummium competitorem eius in campo Martio necandum curauit. Martius senatusconsulto armatus, quo censetur, ne quid resp. detrimenti caperet, darent operam consules. Saturninum & Glauciam in Capitolium persecutus obsedit, maximoq; æstu incisis fistulis in deditionem accepit: nec deditis fides seruata est. Glauciæ fracta ceruix. Apuleius quum in curiam fugisset, lapidibus, & tegulis desuper interfectus. Caput eius Rabirius quidam senator per conuiuia in ludibrium circumtulit.

DE LVCIO LVCVLLO.

LVCIVS *Lucullus nobilis, disertus, & diues, munus quæstorium amplissimum dedit. Mox per Murenam in Asia classem Mithridatis, & Ptolemæum regem Alexandriæ consuli Syllæ conciliauit. Prætor Africam iustissime rexit. Aduersus Mithrydatem missus, collegam suum Cottam Calcedoniæ obsessum liberauit. Cyzicon obsidione soluit. Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumq; regno suo Ponto expulit. Quem rursum cum Tigrane rege Armeniæ subueniente magna felicitate superauit. Nimius in habitu, maxime signorum & tabularum amore flagrauit. Post cum alienata mente desipere cœpit, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.*

DE LVCIO CORNELIO SYLLA.

CORNELIVS *Sylla in fortuna felix dictus, quum paruu-*

paruulus à nutrice ferretur, mulier obuia: Salue, inquit, puer tibi, & reip. tuæ felix. Et statim quæsita, quæ hæc dixisset, non potuit inueniri. Hic quæstor Marij Iugurtham à Bocho in deditionem accepit. Bello Cymbrico, & Theutonico legatus bonam operam nauauit. Prætor inter ciues ius dixit. Prætor Ciliciam prouinciam habuit. Bello sociali Samniteis, Hirpinosq; superauit. Ne monimenta Bochi tollerentur, Mario restitit. Consul Asiam sortitus, Mithridatem apud Orchomenum, & Chæroneam prœlio fudit. Archelaum prœlio præfectum eius Athenis vicit. Portum Peiræum recepit: Medos, Dardanos in itinere superauit. Mox cum rogatione Sulpicia imperium eius transferretur, ad Marium in Italiam regressus, corruptis aduersariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit. Marium apud Sacriportum, Thelesinum apud portam Collinam vicit. Mario Præneste interfecto, felicem se edicto appellauit. Proscriptionis tabulas primus proposuit. Nouem millia deditorum in villa publica cecîdit. Numerum sacerdotum auxit. Tribunitiam potestatem minuit. Rep. ordinata dictaturam deposuit. Vnde spe deceptus Puteolos concessit, & morbo, qui Phtheiriasis vocatur, interijt.

DE MITHRIDATE REGE PONTI.

MITHRIDATES rex Ponti oriundus à septem Persis, magna vi animi, & corporis, vt sex iuges equos regeret: duarum & viginti gentium ore loqueretur, bello

bello sociali dissidentibus Romanis, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit: litteras per totam Asiam misit, vt quicunq; Romanus esset, certa die interficeretur: & factum est. Græciam insulasq; omneis, excepta Rhodo, occupauit. Sylla eum prælio vicit. Classem eius proditione Archelai intercepit. Ipsum apud Orchienum oppidum fudit, & oppressit: & potuit capere, nisi aduersum Marium festinans, qualemcunq; pacem componere maluisset: deinde eum Cabiris resistentem Lucullus fudit. Mithridates pòst à Pompeio nocturno prælio victus, in regnum confugit. Vbi per seditionem popularem à Pharnace filio in turre obsessus, venenum sumpsit. Quum id tardius biberet, quia aduersum venena multis antea medicaminibus corpus firmauerat, immissum percussorem Gallum Sithocum auctoritate vultus territum reuocauit, & in eadem suam manum trepidantis adiuuit.

DE CNEO POMPEIO MAGNO.

CNEVS *Pompeius Magnus ciuili bello Syllæ partes secutus, ita egit, vt ab eo maxime diligeretur. Siciliam sine bello à proscriptis recepit. Numidiam Iarbæ ereptam, Masinissæ restituit, vigintisex annos natus triumphauit. Lepidum acta Syllæ rescindere volentem, priuatus Italia abrogauit. Prætor in Hispaniam proconsuli missus Sertorium vicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem*

datem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate rerum in septentrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Hiberos: nunc in Orientem Parthos, Arabas, atq; Iudæos cum magno sui terrore penetrauit. Primus in Hircanum, Rubrum, & Arabicum mare vsq; peruenit. Mox diuiso orbis imperio, quum Crassus Syriam, Cæsar Galliam, Pompeius vrbem obtineret, post cædem Crassi Cæsarem dimittere exercitum iussit. Cuius infesto aduentu vrbe pulsus, in Pharsalia victus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem fugit. Huius latus sub oculis vxoris, & liberorum à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone confossum est. Iamq; defuncti caput gladio præcisum, quod vsq; ad ea tempora fuerat adoratum. Truncus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inustus humatusq; est, inscribente sepulchro: HIC SITVS EST MAGNVS P. *Caput ab Achilla Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine inuolutum, cum annulo Cæsari præsentatum est. Qui non continens lachrymas, illud plurimis, & preciosissimis odoribus cremandum curauit.*

FINIS.

FINIS.

INDEX EXCELLENTIVM IMPERATORVM QVORVM VITAM DESCRIBIT Æmilius Probus.

	folio.		folio.
Aristides	17	Hamilcar	107
Alcibiades	28	Hannibal	109
Agesilaus	80	Iphiccates	51
Atticus	122	Lysander	25
Cimon	23	Miltiades	2
Conon	40	Pausanias	18
Chabrias	53	Pelopidas	76
Cato	119	Phocio	97
Dion	44	Themistocles	9
Datames	59	Thrasybulus	38
Epaminondas	68	Timotheus	56
Eumenes	86	Timoleon	100

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HISTORIA Aemilij Probi continentur.

A.

Abstinentiæ exemplum Aristides, 17. 18. Epaminondas, 70. Agesilaus, 85

Accusator sui ipsius imprudens Lysander, 28

Adolescentis vitia emendantur exheredatione, 9
Adolescentuli duodecim mutato habitu ingressi Thebas capiunt, 78
Adolescentes errantes simulata laudatione recuperati sunt, 84. 85
Amor intemperans non est fidelis, 21
Amicitia simulata, 46
Amici sine armis primùm ad officium reducendi, 60
Amicis officia præstanda sine factione, 127
Amicitia puerorum in ludo cognitorum vsque ad extremam ætatem crescit, 129
Amicitia simulata capitur & misere extinguitur Datames, 67. 68
Anulus ab Alexandro moriente datus, signum est futuri regis, 87
Annos sexaginta natus, ne vnius quidem è sua stirpe funus vidit, 106
Annos triginta Atticus medicina non est vsus, 137
Ad Aras tutum refugium, 21
Arrogans responsum, sibi malum, 3. 4
Arma à patria accepta cum periculo vitæ retinentur, 108
Auari Cretenses illuduntur, 116
Auctoritati maiorum resistere, temerarium & periculosum est, 53

B.

Ante Belli initium consuluntur Dij, 10
Bellum diuturnum, aduersariorum immodestia finitur, 25
Bello conciliatur otium magnum, 102. 108
Bello intestino remedium affert creatus imperator Hamilcar, 108
Beneuolentia ciuium erga suum ducem, 33
Benignitatis memoria etiam in hoste, 101
Beneuolentia tenetur quod alioqui imperio, 103
In Bello nihil contemnendum, 39

C.

Calliditas acuta, 49.94.117.118
Ciues ciuibus parcere æquum est, 39
Classis imparata opprimitur, 25
Consilia in bello magis vincunt quam arma, 12.117.118
Consilium vafrum Themistoclis in erigendis Atheniensium muris; eiusque infortunium, 11.14
Constantia sacerdotum, 27
Contemptus affert perniciem, 39
Consuetudo malæ vitæ malum habet exitum, 46.47
Contumeliæ non recordari laus magna, 73
In crastinum sine caussa nihil differendum, 78
Corona aurea donantur senatores Romani ob pacem factam, 114
Corona pro beneficijs datur Thrasybulo, 40. Alcibiadi, 33

D.

Defensor non defenditur ab ingrato, 98
Diligi longe præclarius quam metui, 103
Dijs inuitis nihil agendum, 27
Apud Diadema Alexandri capiuntur consilia de maximis rebus, 92
Dux belli propter suspicionem proditionis, grauiter mulctatur, 8
Dolo misere occiditur Datames, 67.68
Dux bonus non recordatur contumeliæ, 73
Dux belli, quo ornatu & lecto vsus, 85.86
Ducis temperantia & liberalitas, 86
Duellum Eumenis & Neoptolemi, 89
Ducis humanitas erga hostem victum, 89.90
Dux constituit domi suæ sacellum, 103
Dux belli nonnihil temporis tribuit literis, 119

E.

Exercitus paruus vincit maximum, 5.6.65
Exheredatio emendat filios & erigit, 9

Eloquentia Alcibiadis, 28.33. Platonis, 46
Educatio mala adolescentum, malum maximum, 46.47
Eloquentia non minus valet quam Leuctrica pugna, 73
Exercitus Xerxis maximus, 10. Darij. 5
Exercitus Iphicratis exercitatissimus, 52
Epulæ sunt hostibus causſa victoriæ, 77.78
Epistolam accipiendo rex proditur, 117
Exules duodecim capiunt Thebas, 78
Existimatio bona præponenda est regno, 83
Equi & iumenta conseruantur nitidi in stabulo, 90.91
Exercitus Romanus terretur sarmentis cornibus iumentorum deligatis accensis, 113
Exercitus tres maximos habuit Hannibal, 111

F.

Factiosus homo facit vt patruus filio hæredi legitimo anteferatur, 80
Facies ignoti non contemnenda, 83
Facinus præclarissimum non pari modo laudatur, 101
Fidei datæ signum, 15
Non fidendum semper, etiam ijs quos diligis, 21
Filiorum mala educatio, magnum damnum, 46.47
Filij res bene gestæ renouant memoriam patris, 57
Præstat vxorem non habere quam filium infamem, 75.76
Fiducia nimia, magnæ est calamitati, 77.78
Fidei quam salutis cupidior Eumenes, 88
Filij bonis parentibus similes non opus habent magnis opibus, 98
Filius ingratus patri, 106
Fortunæ inconstantia in Alcibiade, 29.30. &c. Themistocle 9.10.11.12. &c. Dione 47.48
Fortitudinis exemplum Chabrias, 55. Epaminondas, 75. Eumenes, 89
Fortunæ varietas in auo & eius nepotu, 58. Item in alijs, 98.129
Fraus acuta, 49

Glo-

G.

Gloria belli, turpi morte maculatur, 21.22
Gloriæ comes inuidia 54.55
Gloria maxima discedit Epaminondas à iudicio capitis, 74.75
Gloria inueterata milites, nō libenter parent ducibus, 92
Gloriam maximam paruo agello tueri possumus, 98
Gloria sequitur fugientem, 123
Gratum agnosci, maximus quæstus, 128

H.

Hermæ omnes vna nocte Athenis deijciuntur, 29
Honor habetur victori etiam interfecto, 80
Honores contempsit Atticus, 123.125
Hostes in vnum imperatorem impetum faciunt, 75
Hostium fortitudo non semper indicanda militibus, 89
Hostis victus, humaniter habetur à victore, duce, 90
Hostes callide decipiuntur ab Eumene, 94
Hostem liberat à morte benignitatis memoria, 101
Hospitij ius saluum, 118
Humanitas & comitas ducibus vtiles, 8

I.

Inducię factæ cum iuramento, 81
Ingratum viuere minus pulcrum est quam bene merendo perire, 91
Cum ingratis viuere difficile, 101
Ingenij nimia opinio, maximum malum, 33
Inuidia sibi nocet, 31.32. Et amicis, 46
Inuidia impedit victoriam, 34.94
Inuidia gloriæ comes, 54.55
Ex inuidia proueniens plebiscitum inutile. 73.74
Insidiatores decepti occiduntur, 66
Iurat ad aram Hannibal puer 111
Iurare cogitur Callicrates in æde Proserpinæ 149

L.

Laudes ob bene facta deo adscribuntur, 103
Lætitia non diuturna, 33.34

Libertas, 9.14.24.38.101.104
Loci sacri maxima religio, 21.22.83
In loco sacro quomodo deprehensus & tractatus Pausanias, 21.22
Litterarum bonarum cupidissimus Cato, 121
Legatus debet habere rationem honoris illius à quo legatur, 42
Legationis ius apud omnes sanctum est, 79
Legatus in vincula coniectus liberatur, 79.80

M.

Mater ob recte factum impia in filium, 101
Menestheus cur matrem pluris fecerit quam patrem, 53
Mores cum veste vel habitu mutantur, 20
Mores diuersissimi in vno homine, 28
Moritur Dion miseranda fraude, 49.50
Bene monentem spernens insigniter illudit, 60
Mortis suffragium non fertur contra Epaminondam, 75
Moritur inuictus Epaminondas. 75
Morum similitudo plus valet quam affinitas, 125
Munera parua diutina, 40
Munera magna repudiantur, 98
Mysteria domi facere nefas Athenienſibus, 30

N.

Natali suo dux magna prælia fecit, 104
Sine numine diuino nihil rerum humanarum agitur, 103

O.

Obsidione mirabili casu liberantur Parij, 7
Pro Obsonio emendo donatur vrbs, 16
Obedientiæ exemplum, 82.83
Oculorum acies sine morbo amissa, 103
Odium causa maximi belli, 109.110

P.

Pro pane emendo donatur vrbs, 16
Pausanias quomodo captus in ædę sacra, 22

Parentibus grauissimum vulnus mala filiorum educatio, 48
Pauper perpetuo maluit esse Phocio cum potuerit esse diuitissimus, 97.98
Parente dignum responsum cum vrgeretur vt promoueret liberos, 98
Perfugæ puniuntur ab ijs à quibus desciuerant & ab ijs ad quos transfugerant, 64
Pecunia tentatur abstinentia, 70
Periurio homines & dij offenduntur, 81
Periurus passim vincitur, 82
Qui perfidia suorum cadit, ab superiore victus esse non dicendus est, 96
Pecunia callidissime seruata, 116
Philosophiæ fructus & finis, 134
Plebiscitum ex inuidia profectum non seruatur, 73.74
Potentia singularis, inuisa, 49.50
Poëta præfertur cuiuis triumpho Sardinienſi, 120
Poëticen didicit Pomponius Atticus, 135
Præmium paruum si sit rarum, censetur magnum, 7
Proditores partim occidunrur partim in exilium eijciuntur, 77.&c.
Propugnatore cadente, statim aperiuntur consilia occulta, 97
Prosperitas vsq; ad octogesimum durans annum tandem mutatur, 98
Pugna nobilissima, 6
Pugnæ præclaræ sunt duci instar liberorum, 76
Pulcritudo corporis ornanda virtute, 105
Pythiæ responsum anceps, 10

R.

Reges magis nomine quam imperio, 80
Regis in bello ornatus, lectus &c. 85.86
Rex in bello mortuus cera circumfusus domum portatur, 86
Regum Græciæ catalogus, 105

Ex Rege fit prætor Hannibal, 114
Religio induciarum seruata conciliat sibi deos & homines, 81
Religio anteferenda iræ, 83
In risum soluuntur iudices capitis, 74.75

S.

Sacrarium tutissimum refugium, 15
Statuæ victoribus fiebant ijs statibus quibus vicerant, 53 54
In scenam prodire Romanis turpe, 2
Seditionis occultæ signum, 29
Seueræ res in crastinum non differendæ, 78
Scribæ apud Græcos maiore honore quam apud Romanos, 87
Apud sellam, sceptrum & diadema Alexandri consilia capiuntur, 92
Senex vehiculo ad iudicium capitis damnandus deportatur, 99.100
Sententia ob valetudinem ex vehiculo dicitur, 103
Serpentes vasis fictilibus inclusi in hostium naueis injiciuntur, 118
Sopor à medicis datur Dionysio quo diem obijt supremum, 45
Sociorum caussam Epaminondas in se suscipit, 73.74
Suspicio non habenda de viro claro, 21

T.

Testimonium clausum aliud quam sperabatur datum, 28
In templis homines non violandi, 81
Triumpho Sardinienſi amplissimo præfertur poëta Ennius, 120
Tyrannus quis, 8
Tyrannum fratrem frater occidit, 101

V.

Tanquam à Venatore capta fera, agitur Thyus, 60.61
Pro vino emendo donatur vrbs, 16
Ob victoriam obtentam datur donum Apollini, 19

Vir clarus non venit facile in suspicionem, 21
Victoria duplex eodem die, 24
Virtus premitur, non opprimitur, 24
Victoria parit elatum animum, 26.19
Virtutis nimia opinio, quomodo malum maximum, 33
Victoribus ponebantur statuæ, ijs statibus quibus victoriam consecuti erant, 53.54
Victores Athenienses instituunt Paci deæ puluinar, 56
Vitæ moderatæ & sapientis testimonium, 58
Victoria præclara, in qua plus clementiæ quam crudelitatis, 102
Vitia emendantur virtutibus, 9
In vitijs alienis carpendis oportet esse cautum, 72.73
Victoria ciuilis funesta, 76
Vinolenti ab hostibus occiduntur, 78
Victor etiam interfectus honoratur, 80
Victor victum habet humaniter, 89.90
Vita egregia ab octogenario male finita, 98.99.100
Vxorum præstat nullam habere quàm infamem filium, 75.76
Vxorem in conuiuium adhibere, Græcis turpe, 2
Vulgus facile obliuiscitur beneficiorum acceptorum, 57.58
Vulgi immutatur voluntas, 51.

INDEX VIRORVM ILLVSTRIVM QVORVM RES GESTAE A PLINIO SECUNDO DESCRIBUNTUR.

ANcus Martius Rom. rex IIII. 144
A. Posthumius 152
Aesculapius Romam aduectus 155

Appius Claudius Cæcus 162
Appius Claudius Caudex 164
Attilius Calatinus 165
Antiochus rex Syriæ 173
Aulus Hostilius 177

Clœlia Vestalis 150
Cn. Martius Coriolanus 153
Cornelius Cossus 157
Cn. Duillius & Himilco
Pœnorum dux 165
Claudia Vestalis 169
Claudius Nero & Hasdrubal
frater Hannibalis 170
Cn. Manlius Volso 174
C. Gracchus 180
C. Marius senior 182
C. Marius iunior 182
C. Fimbria 183
Cn. Pompeius 188

Fabiorum interitus 151
Furius Camillus 156

Horatius Cocles 149
Hannibal 167

Iunius Brutus 149

L. Tarquinius Rom. rex V. 145
L. Valerius Publicola 151
L. Q. Cincinnatus 152
Licinius Stolo 154
L. Papyrius Cursor 160
Liuius Salinator 172
L. Scipio Asiaticus 173

L. Æmylius Paulus Maced. 174
L. Mumius Achaicus 177
L. Cornelius Cinna 183
L. Apuleius Saturninus 185
L. Lucullus 186
L. Cornelius Sylla 186

Mutius Scævola 150
Menenius Agrippa 153
Manlius Capitolinus 157
M. Valerius Coruinus 159
M. Curius Dentatus 161
M. Attilius Regulus 166
M. Marcellus 169
M. Portius Cato 169
M. Liuius Druſus 180
M. Æmylius Scautus 184
Mithridates Ponti rex 187
M. Fuluius Nobilior 173

Numa Pompilius Rom. rex II. 142

Proca rex Albanorum 140
P. Decius pater 158
P. Decius filius 158
Pontius Theletinus 160
Pyrrhus rex Epirotarum 163
P. Scipio Naſica 168
P. Cornelius Scipio Africanus 171
P. Scipio Æmylianus 176

Q. Fabius Rutilianus 161
Q. Luctatius Catulus 166
Q. Fabius Maximus 167
Q. Cæcilius Metellus Maced. 178
Q. Cæcilius Metellus Numid. 178

Q. Metellus Pius 179

Romulus Rom. rex I. 141

Seruius Tullius Rom. rex VI. 146

Tullius Hostilius Rom. rex III. 143
Tarquinius Rom. rex VII. 147
Tarquinius Collatinus 148
T. Manlius Torquatus 159
T. Quintius Flamminius 172
T. Sempronius Gracchus 175
Tiberius Gracchus 179

Virginius 154
Volscinij 164
Viriatus Lusitanus 183

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN LIBELLO PLINII SECUNDI continentur.

A.

Abstinentia 162.178
Absolutio gloriosa 170
Acutè dicta 161.163
Alpes ab Hannibale patefactæ 167
Ambitionis studium immoderatum repressum 168
Amicitiæ veræ & infucatæ signum 175.176
Annus in 12. menses primo distributus 143
Apparitio Castoris & Pollucis 152
Asylorum origo 141

Aucto-

Auctoritate vultus deterretur percussor 182
Augurandi artis exploratio 145

B.

Bellum proficiſci Hoſtilius auibus & voce vetatur 177
Beneficentia 160
Bulla puerorum ingenuorum inſigne 146

C.

Capitolij fundamenta iacta 148
Caput occiſi per conuiuia in ludibrium circumfertur 186
Centuriarum Equeſtrium duplicatio 145
Circus maximus 145
Clementia 161. 163. 168
Collis Quirinalis, Viminalis, & Eſquilinus 146
Concordia 153
Conſilium prudens 150. 144
Conſilium ſecreto tenendum 178
In conſpectu vxoris & liberorum occiditur Pompeius 189
Conſul ex plebe primus 154
Conſulem ſe facit L. C. Cinna 183
Conſtantia 150
Corculum quare dictus Scipio Naſica, 168
Corona obſidionali donatur Scipio Æmilianus 176
Coruni 165
Criminando conſulatum adeptus C. Marius 182
Criminis obiecti lepida purgatio 185
Crudelitas 347
Ob crudelitatem occiditur à militibus dux 183
Ante currum agitur Iugurtha 182

D.

Decemuiri legibus ſcribendis creati 154
Dictum graue Saturnini ad nobiles 185
Dies Allienſis 156
Diſciplinæ militaris apud Carthaginienſes ſeueritas 165
Diſſimulatio in aduerſis 144
Dijs inuitis nihil faciebant Romani 168

Eloquen-

E.

Eloquentia facit effugere periculum ditionis, 177
Eloquentia parit gloriam, 184
Epulandi decantandiq́ue ius tibicinibus ademptum, 162
Equitum Rom. transitus ab æde Honoris in Capitolium, 162
Exercitus paruus cædit magnum, 177
Exulare mauult Metellus quam iurare, 185

F.

Fabularum vsus & vtilitas, 153
Fame vincitur Numantia, 176
Feriæ latinæ institutæ, 148
Filiorum quatuor pater mortuus, humeris effertur, 178
Filius pius in patrem, 179
Filius præsidium deserens vetatur venire in conspectum patris, 185
Filius fictus non agnoscitur, 185
Flaminum Origo, 143
Fœdera sacra sancte custodienda, 144
Fortitudo militaris, 144. 149. 157. 159. 166
Fortitudo & robur Mithridatis, 187
Fortunæ muliebris templum, 154
Fossæ Quiritium, 148
Frugalitas Romana, 152. 153
Fugæ, non pugnæ interfuit C. Marius F. 182

G.

Gloria sequitur fugientes, 152
Gratitudo, 153. 162. 172

H.

Horatij trigemini, 144

I.

Imperium prænunciatum, 145. 146
Imperium quodnam præclarissimum, 162
Impietas in parentes, 147
Improbitas, 155
Industria, 146

Incru-

Incruenta victoria probatur, 163
Innocentia prodigiosè declaratur, 169
Inobedientia, 161
Iurandi mos apud Carthaginienses, 167
Ius fœciale translatum, 141
Iustitia & beneficentia capiuntur hostes qui armis superari non possunt, 156

L.

Leges duodecim tabularum, 155
Legislatori seruanda lex à se lata, 154
Liberalitas & beneficentia, 168. 181
Licentia frenata, 164
Linguas viginti duas nouit Mithridates, 187
L. Valerius Publicola cur sic dictus, eiusq; triumphi, 151

M.

Mansuetudo & placabilitas, 172
Matronæ honestæ speculum, 148
Mater flet filij honorem immutatum, 182
Minorum gentium Patres, 345
Moderatio animi, 152. 159. 161
Mors honorata, 161
Mors ingloria, 164. 167
Mors & interitus Fabiæ gentis, 151
Morum similitudo coniungit homines, 147
Muliebris animi magnitudo, 154
Muliebris astutia, 146

O.

Oculi cohibendi, 171
Odium Hannibalis in Romanos, 167
Ordinis senatorij, Equestris & Plebeij initium, 142

P.

Paludamentum, 144
Pater promittit puellam speciosam ei qui hostis afferret dextram, 177

Patriæ

Patriæ salus suæ & suorum saluti anteponenda 144.166
Patrimonium Scipionis exiguum 176
Patricius exercet carbonariam 184
Paupertas M. Attilij Reguli 166
Pax inter Romanos & Sabinos mirabiliter constituta 142
Pecuniæ egestas multorum malorum origo 181
Perfidia 156
Pietas Numæ Pompilij 143
Ad pileum vocantur serui 183
Portenta 146. 145
Prænunciatio prodigiosa 159.171
Pietas in parentes 154. 159.171
Prætexta puerorum ingenuorum insigne 146
Prudentia 149. 150. 152.153.157
Pudicitiæ amor 155. 148.171

R.

Regnandi cupiditas 147
Regni malè affectati pœna 153.140
Religio neglecta punitur 162
Responsum Apollinis ambiguum 163
Roma condita 140
Romuli & Remi ortus 140
Romuli prudentia & in Diuos religio 141
Romulus quomodo inter diuos relatus 142
Romani omnes eodem die in Asia interficiuntur 188

S.

Sacrilegium punitum 164
Salutatio fausta 187
Secretum non aperiendum 178
Sella conciditur propter irreuerentiam 184.185
Senectus veneranda 156
Senectus rebus gerendis non est impedimento 163
Sepultura magnifica 169
Seueritas Patrum in filios 149.159

Seueritas nimia reddit inuisum, 178
Signum non benè intellectum facit occidi Gracchum, 179
Somnium mirabile, 156
Stultitia prudenter ficta, 149
Stratagema paucorum, 143
Superbia punita, 157
Suspicionis falsæ depulsio maiorem viris bonis existimationem conciliat, 151
Sinceritas & incorruptus animus, 162

T.

Templum Mineruæ in incendio inuiolatum stat, 183
Tribuni plebis creati, 153
Tugillum, 144

V.

Vafrities mira & calliditas
Veientium astus militaris aduersus Fabios, 151
Victoria alieno labore quæsita intercipitur, 177
Victoria empta à senatu non probatur, 184
Virginum Vestalium institutio & origo, 143
Virginitas, 155. 169
Virtus præmio decoratur, 150
Virtus humili loco natos claros facit, 146
Voluptatis ac deliciarum effectus, 167
Vultus auctoritate deterretur percussor. 182. 188.

Cum facultate Superiorum.

Errata.

Error.	Emendatio.
et	ei 41
porrigere	porrigeret 48
fidem	fidam 65
peteret	peterent 73
magistratuum	magistratuum 78
suscipienda	suspicienda 82
erunt	erant 92
Lacedominus	Lacedamonius 105
conseruatus	conseruatis 116
leuis	lauis 141
Cœliam	Clœliam 150.
Couerent	Coueret 158
Dijse	dijsse 158
geccata	peccata 184
latabuntur	latabantur 181.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica
DAVIDIS SARTORII,

Anno M. D. XCIII.

